


FERRARII MEDICI, AC PHILOSOPHI RIPENSIS,

DE REGVLIS MEDICINAE LIBRI TRES, ex Hippocrate, Galeno, & Auicenna ſumma cum diligentia collecti.

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM FERDINANDVM, *Archiducem* AVSTRIAE, *Ducem Burgundiæ, Comitemq; Tyroli.*





BRIXIAE, Apud Vincentium Sabienſem.
M. D. LXVI.

SERENISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO, ARCHIDVCI AVSTRIAE, DVCI BVRGVNDIAE, COMITIQVE TYROLI, DOMINO SVO COLENDISSIMO.



OMNIBONVS FERRARIVS.




ADMIRATVS sæpe mecum (ARCHIDVX Serenissime) multitudinem voluminum medicinæ per quã, tanquam per ingens pelagus, seduli medici nauis non nisi summis cum laboribus, & discriminibus transeat necesse est, antequam ad optatum perfectæ eruditionis portum perueniat; humanæ vitæ breuitati, memoriæq; nostræ imbecillitati censui con-

ſulendum. multi enim rei magnitudine perterriti, neq; nauitam fidum, qui ſe illis obuiam ferat, agnoſcentes, pedem ſtatim ab inſtituto opere referre coguntur. multi vero audaciores, in altum tendentes, prius intereunt, viſo nondum littore aliquo, quam fructum vllum laborum, & vigiliarum percæperint. quod ſi aliquibus, mare hoc vaſtiſsimum tranare concedatur, non nullis tamen ex eis, non licet aut naturæ, aut fortunæ inuidia comparatis frui virtutibus: Quare tantæ calamitatis non potui non miſereri; Atq; vt hac in re omnibus prodeſſem (id enim eſt ex ratione viuere, non ſibi ſoli viuere) cum viderem quantum Tyronibus, veteranisq; in arte militibus profuturus eſſet in propoſitis difficultatibus, tractatus de regulis artis medicinalis, vt ex eo, tanquam ex penu quodam, materiam ad diſputandum, conſulendumue cuiq; depromere liceret; regulas quaſque ſelectas, & traditas per tres illos medicinæ apices; Hippocratem ſilicet Galenum, & Auicennam excerpſi, atque in tres redegi

libros, ut breuiori, faciliorique via vnusquisque incœptum prosequatur iter. Eos igitur publico commodo in lucem editurus, celsitudini tuæ dicandos censui: tum quia beneficia tua in fratrem meum Hieronymum, quem incredibili beneuolentia ad tibi seruiendum in ijs, quæ ad diuinum cultum pertinent, suscæpisti, id me admonebant: tum quia sublimes virtutes tuæ, quæ summa gloria vbiq; prædicantur, & ingens studium, quo doctos omnes prosequeris, me ad id agendum, non modo hortabantur, sed etiam impellebant: eius tuæ humanitatis, testis est vir doctissimus Petrus Andreas Mathiolus, simplicium medicamentorum verus enucleator, quem semper gratissimum habuisti: nam, cum belli virtute excellas, & rebus fortiter gestis immortale quesieris nomen, litterarum decora etiam addidisti priscos illos summos, & clarissimos viros imitatus, qui non solum rerum gestarum magnitudine, sed doctrinarum etiam eruditione maximos sibi honores, & immortalitatem compararunt. qua in


re, omnes, non immerito, te alterum prædicant Alcidem; ille enim in varia se se attollentem capita, mõstruosam extinxit hydram; Tu sanctissimo, & religiosissimo tuæ vitæ exemplo Germaniam a Lutheri, & aliarum id genus sectarum repullulante malitia, & prauitate feliciter pręseruasti. Liberauit ille a feris Arcadiam; Tu Bohemiam a barbarorum malignitate detẽtam, expurgasti, deditam additamq; inuictissimo, & immortali Austriaco generi tuo reddidisti. Deuicit ille gigantem Anteum, Tu Turcam Viennæ inhiantem primum, & ad Istrum deinde frementem virtute consilij tui, & robore fortissimæ dexteræ tuæ propulsasti. Reliquum modo est, vt, quemadmodum ille Hesperidum victor mala abstulit aurea; Tu susceptis humilibus, & debellatis superbis, auream triumphans referas ætatem; & tuo sub imperio, christiani nominis salus, pax, decus, & gloria fœlicissimæ degat? Tibi igitur serenissime Princeps hasce meas, qualescunque sint, lucubrationes dico, atque consecro: Velimque in

tui gloriosissimi nominis tutela eas apparere: quas te non aspernaturum scio, si memineris, tibi præcipue vni, diuinum hoc potius, quam humanum, a superis concessum esse munus, in omnibus bene agere; nulla in re errare.



OMNIBONVS FERRARIVS MEDICVS, AC PHILOSOPHVS RIPENSIS.

MEDICINAE STVDIOSIS.



VAM difficile ſit medicinæ ſcopos non lingua modo, ſed etiam memoria habere; non ſolum cum ſcholas frequentarem, ſed etiam ubi lauream ſuſcepiſſem, me diuturna docuit experientia: mihi enim uel in gymnaſiis diſſerere cupienti, uel ad ægrotos curandos properanti, neceſſe prius erat Hippocratis, Galeni, Auicennæ, aliorumque authorum uolumina per claſſes, libros, tractatus, parteſq; diuiſa, maximo cum labore euoluere, antequam optatam doctrinam in promptu haberem. quamobrem, ut uobis omnibus medicæ artis ſtudioſis prodeſſem, breues iſtas regulas conſcripſi; ut per eas, quæ uobis inquirenda occurrant, facilius inueniatis. Singulæ enim auctorum primo nomina, deinde libros, numerum poſtea, claſſes, & paginas in margine annotatas ſumma cum diligentia habent. Quod ſi ex frequenti earum lectione beneficium aliquod ſenſeritis. D. O. M. gloriam referentes, in altera editione ampliorem, emendatioremque formam expectetis.

OMNIBONI FERRARII DE REGVLIS MEDICINAE

LIBER PRIMVS.



EGVLA *est breuis rerum praeceptio, siue* ORDO, *quo in cuiusque suo loco rei sit collocatio, & digestio.*

Atque pulchrum omne, quod hic pulchrum sit, atq; etiam ordinatum, & artificiosum, ex supernis innasci dicet. Gal. 2. de diebus decr. 4. 151. H.

Expedit igitur MEDICVM, *qui Hippocratis arte dignus futurus est, si quid aliud, hoc certe persuasum habere, experientiam iudicare, naturam rem quandam esse ordinatam.* Ibidem.

Eam scientiam nuncupat MEDICINAM, *& qui eam exercet, Medicum.* Gal. 5. de simp. med. fac. 5. 31. H.

DE MEDICINA
REGVLA PRIMA.

MEDICINA *est adiectio deficientis, & ablatio superantis.* Hip. de flatibus in principio.

Medicina est scientia salubrium, & insalubrium, & neutrorum. Galen. ar. med. Isag. 62. A.

Auic. 1. F. 1. do. j. 1. A *Medicina corpus humanum ex parte unde sanatur, & a sanitate remouetur, considerat.*

Ibidẽ. doc. 3. C. *Medicina est scientia, qua humani corporis dispositiones noscuntur, ex parte qua sanatur, uel ab ea remouetur, ut habita sanitas conseruetur, et amissa recuperetur.*

Gal. ꝺ ocu lis. 7. 185. C. *Primam autem medicinæ intentio est, quæ bissariam diuiditur, Aut. n. in sanis, cum similibus sanitas custoditur, Aut in ægris per contrarium sanitas redditur.*

Ibidem. *Primæ (s. diuisioni) necessaria est* RERVM NATVRALIVM *scientia: Naturalibus. n. agnitis patefiunt ea, quæ sunt similia sanitati; & sic etiam cognoscuntur, quæ sunt contraria. Similibus ergo seruatis, contrarijs probibitis, sanitas custoditur.*

Ibidem. H. *Secunde autem diuisioni duo sunt neceßaria.* NONNATVRALIVM *scilicet, &* EXTRANATVRAM *rerum scientia.*

Galen. ad Thras. 2. 105. H. *Finis medicinæ est ipsa sanitas, qui medico quiescente demonstratur.*

Gal. ꝺ sub fig. emp. Isag. 32. A. *Nos medicinam in partes tres,* INDICATIVAM *scilicet,* CVRATIVAM, *&* SALVBREM *secamus.*

Hip. ꝺ aer. aq. & loc. 2. 2. D. *Ad rem medicam plurimum confert Astronomia.*

DE PARTE INDICATIVA MEDICINAE. R. II.

Gal. ꝺ sub fig. emp. Isag. 32. A. PORRO *Indicatiuam in dignotionem præsentium, & futurorum prænotionem secamus.*

Medicatoriæ indicationes a morbo ipso sumuntur, a corporis temperamento, & tertio ambiente nos aere. Ga.9.met. med.7.59. G.

Probè uerò peritum esse oportet de indicijs certis, ac signis alijs, ut quouis anno, & quouis tempore mala malum, bona bonum denuntiant. Hip. 3. in prognos. 4.212. C.

De accidentibus decretorijs afferri uerbum signum conuenit; indicium uero certum nequaquam conuenit. Gale. Ibidem. F.

DE REBVS NATVRALIBVS.

REGVLA. III.

QVI ægro sanitatem uult restituere decenter debet inuestigare septem res naturales, quæ sunt, ELEMENTA, COMPLEXIONES, HVMORES, MEMBRA, VIRTVTES, SPIRITVS, & OPERATIONES; *& quæ sequuntur eas, ut* AETATES, COLORES, FIGVRAS, *distantiam inter* MASCVLVM, & FOEMINAM. Gal.d'oculis.7.185. E.

DE ELEMENTIS.

REGVLA. IIII.

ELEMENTVM *minima est pars eius, cuius est elementum.* Gal. 1. de elementis. 1.2. B.

Atque audacter pronunciandum, TERRAM, IGNEM, & AEREM, & AQVAM *omnium esse communia, & prima elementa.* Ibidé.5.E.

DE TERRA.

REGVLA. V.

Auic. 1. F. 1. doct. 3. 3. H. TERRA est corpus simplex, cuius locus naturalis in medio totius existit, in quo naturaliter manet quieta: & ad ipsum, cum ab eo separata fuerit, naturaliter mouetur.

Ibidem. Eius uero esse in generatis iuuamentum præstat ad retentionem faciendam, & fixionem, & ad conseruandas figuras, & formas.

Gal. 9. de simp. m. fac. 5. 64. G. Corpus nanque extremè siccum, ac frigidum terram nuncupant.

Ibidem. Secundum hos ergo nullum compositorum corporum terra censetur elementaris, aiunt tamen ea plurimum habere terræ, puta adamantem, & saxa: & quanto corpore fuerint duriore, tanto magis ea dicunt esse terrea.

Ibidem. Cæterum eam esse terram dicunt exactissimam, quæ quã longissimæ recessit a saxi consistentia. quippe cum & argillosam, & arenosam ad pleraq; damnent inutilem.

Ibidem. Tria sunt genera terræ, unum lapis est, alterum corpus metallicum, tertium uero terra quæ colitur.

Ibidẽ. H. Terra usitate latinis uocari dixi, quæ iniecta aqua statim soluitur, & fit lutum. huiusmodi ergo est, quam homines ad culturam elaborant.

DE IGNE. R. VI.

Auic. 1. F. 1. do. 3. 4. A. IGNIS uero est corpus simplex, cuius naturalis locus super corpora elementaria omnia existit

& locus eius naturalis est concaua cœli superficies.

In generatis præstat iuuamentum ut maturet, & subtiliet: & permisceat, & ut eius penetratione currat per ea substantia aerea. Ibidem.

Et hęc quidem est eius leuitas absoluta, cuius natura calida est, & sicca. Ibidem.

Considerandum est ignis tria genera extitisse, primum flammam, quodq; a flamma procedit minime urens illud quidem, sed lucem oculis exhibens: tum quod flamma extincta in ipsis ignitis corporibus restat. Gal. 7. de decr. Hip. 1. 271. C.

Neque ullum animal calidum in summo esse potest, ut est ignis. Gal. 1. de tēp. 1. 10. C.

DE AERE. R. VII.

AER est corpus simplex, cuius naturalis locus est, ut sit super aquam, & sub igne. ipsius uero natura calida est, & humida. Auic. 1. F 1. doct. 3. 4. A.

In generatis iuuat, ut rarificentur, & alleuientur, & subtilientur, & ad superiora eleuentur. Ibidem.

Aerem seu spiritum dicere nihil differt. Gal. 1. de diff. feb. 3. 31. B.

Aer, & ignis tenuioribus partibus præter cætera corpora sunt, ac molliora; habiliora, tractabilioraque. Gal. d mul tit. 3. 77. E

Temperamentum aerem dicimus etiam si in altcrutram partem frigidi, & calidi paululum sit propensus. Gal. 1. de sanit. tuen. 2. 64. B.

Cæterum aera nos ambientem magnas afferre mu- Gal. 3. de diebus de-

cre.4.157. E. *tationes, dum luna primum occultatur, & rursus primum apparet, nemo mortalium ignorat.*

Au. 1.F.2. d.2.30. H. *Aeris genus est de numero eorum, quæ mutant dispositiones corporum, & conseruant.*

Gal. 1. de *Optimum aerem censeo, qui prorsus sit purus.*

sanit.tuen. 2. 67. A. *Aer purus est, qui nec stagni, nec paludis halitu sit perturbatus, nec ex profundo specu pestilentem auram spirante infectus, qualis circa Sardis, & Hierapolin, alibiq; terrarum sæpenumero uisitur. nec, qui ex cloacis, quæ magnam aliquam urbem aut numerorum exercitum purget*

Ibidem. *uitium contraxit. nec qui ex animalium, olerũ, aut leguminum putredine, aut fimo coinquinatur. nec qui ob stagnum, uel flumẽ uicinum nebulosus est. nec qui editis undiq; montibus in cauo loco clusus, nullum recipit perflatum. Aer huiusmodi qualitate infectus omni planè ætati est noxius.*

Ibidem. *Aer uero, qui purus omnino est nonnulli ætati utilis.*

DE AQVA. R. VIII.

Auic. 1. F. 1. doct. 3. 3. H. AQVA *autem est corpus simplex, cuius naturalis locus est, ut sit circundans terram, & circundata ab aere, cum in suis sitibus naturalibus permanserit.*

Ibidem. *In generatis iuuamentum præstat ad figurandas formas, humidum.n.licet cito formas figulares amittat, faciliter tamen eas recipit.*

Gal. 1. de *Nam, & qui aquam ait esse elementum, quoniam*

hæc densata, ac ueluti compressa terra fit; laxata uero, & ueluti fusa, aer; quod, si magis laxetur, atque fundatur, ignis; propter hoc aiunt esse elementum. elem.1.4.B

Optima autem aqua, substantia, & gustu, & olfactu, et etiam colore probatur; gustu quidem, & olfactu, ut alienam qualitatem nullam præ se ferat. s. ut neque dulcis, non salsa, non acida, non acris, non male olens, aut putrida existat; uel omnino aliam aliquam adscititiam qualitatem possideat. oportet quinetiam ut perlucida sit, ac pura. Gal. de ptis sana. 2.47. A.

Talem igitur aquam frigidam, & humidam, ac proprie aquam merito nuncuparis. Ibidem. B.

Testis nobis erit Hip. aquam enim, quæ cito calefit, & rursum cito refrigeratur, putat esse leuissimam. Ibidem. A.

Optimę sunt, quæ ex sublimibus locis, ac terreis collibus fluunt: hæ. n. hyeme calidę, æstate uero frigidæ fiunt. Hip. de aer. aq. & loc. 2.3. C.

Aquę uero, quæ sunt alijs meliores, sunt aquę fontium. Auic. 1. F. 2. doct. 2. 37. F.

Aqua, quæ suo cursu ad solem tendit. s. ad orientem, & proprie ad eius æstiuum, erit melior aquis, & quanto magis cum multum a suo elongabitur principio: & post hanc, quæ ad septentrionalem uadit. Ibidē. G.

Illa nanq; quæ ad occidentem tendit, & meridiem, est mala; & proprie cum meridionales ex sufflauerint uenti. Ibidem.

Ibidem. Et illa quidem, quæ a locis descendit altis, cum alijs bonitatibus est melior.

DE COMPLEXIONIBUS.

REGULA. IX.

Gal. de ocu lis. 7. 185. D.

COMPLEXIO dicitur esse uniuscuiusq; humani corporis compositio.

Ibidem. Complexio quidem multipliciter est, tum ætas, & consuetudo.

Ibidem. Naturalis complexio est, secundum differentiam sexus, ut in mare, & fœmina: uel secundum euentum, ut est complexio spermatum, uel spirituum, de quibus sit.

DE HUMORIBUS.

REGULA. X.

Gal. x. de simp. med. fa. 5. 74. E. DIDICISTI enim quatuor esse uniuersos in unoquoque animali sanguineo humores, SANGUINEM, PITUITAM, et BILEM FLAVAM, & ATRAM.

DE SANGUINE.

REGULA. XI.

Gal. de atra bi. 1. 34. E. SANGUIS dulcis maxima ex parte uidetur.

Gal. de mul tit. 3. 80. H Sanguis nunquam purus aliorum humorum comprehenditur in uenis.

Gal. 6. de mor. uul. c. 4. 3. 287. C Qui propriæ dicitur sanguis, non potest habere alium colorem, quam rubrum.

Sanguinem

Sanguinem alere, calfacere, sanitatem, bonumq; colorem efficere ait Hippocrates. Ga.br. dē. dog. Hip. 1. 231. C.

Sanguis abundat in ætate puerili, ac tempore ueris. Ibidē. B.

Ex his sanguinem ait natura calidum, & humidum esse, colore rubrum, qualitate dulcem. Ibidem. Gal.c.1.de nat. hum. 1. 32. D.

Et ad ueris similitudinem sanguis calidus, & humidus est.

Proprium iecoris sanguinem generare. Gal. 5. de loc. aff. 4. 34. D.

Generatio sanguinis si tollatur, uitam quoque tolli necesse est. Gal. 6. de decr. Hip. 1. 264. F.

Ex sanguine exacte cocto generatur semen, & lac. Gal. 16. de usu part. 1. 219. C.

Sanguine mas, plenior est fœmina.

Ex sanguine, & semine generationis nostrę primordia fiunt. Ga. d̄ mor. uulg. c. 2. 3. 169. F. Gal. 1. de san. tuen. 2. 62. E.

DE PITVITA. R. XII.

ET ob id quidem pituita, non aliter atque hyems, frigida, & humida nuncupatur. Gal. d̄ nat. hum. c. 1. 1. 32. D.

Etenim talis est quædam pituita, quemadmodum, & alia est dulcis, & alia acida, & alia, que nullam insignem qualitatem habet. Gal. d̄ nat. hum. c. 1. 1. 31. H.

A pituita alba aqua inter cutem superuenit. Hyppo. 7. aphor. 72 Ex. 60. F.

Pituitæ quidem unum genus est, quod quotidie uel screando, uel uomendo, uel emungendo educitur, uaporoso scilicet spiritu plenum, ut ne sensum quidem lateat, ipsum esse dissimilare. Gal. 3. de loc. aff. 4. 17. H.

Alia uero pituita similaris quidem uidetur, licet fortasse non sit similaris, qualis est crudus hu- Ibidē. 18. A.

mor qui in urinis subſtat, tum is, qui a Praxagora uitreus apellatur. atque ex hoc genere eſſe uidetur ſaliua, quæ neque fluida admodum eſt, neque aquoſa.

Gal. 3. de nat. fac. 1. 302. B. *Sic pituitæ quod dulce eſt, id ſalutare eſſe animanti, et naturale: Quod acidum ſalſumq; eſt, Acidum quidem omnino crudum eſſe: Salſum computruiſſe.*

Gal. 2. de diff. feb. 37. G. *Forte autem, & uitrea pituita acidæ qualitatis eſt particeps, adeo ut eius differentiæ tres ſint numero uniuerſæ, acida, dulcis, & ſalſa.*

Ibidem. *Minime uero dulci pituita putreſcente febrem rigor antecedit.*

Ga. de mul. 3. 81. F. *Ex cæteris pituitæ generis unum dulce eſt, Acidum alterum, Tertium ſalſum: fiuntq; ex dulci ſomnolenti, famelici ex acida redundante: uti cum ſalſa ſuperauerit, ſiticuloſi; ex crudo uero, quem diximus, minime appetentes.*

Gal. de atra bile. 1. 37. A. *Porrò a nobis demoſtratū eſt, pituitoſum humorem ex pituitoſis cibis in prima, hoc eſt uentriculi cōcoctione fieri.*

Gal. br. de dog. hyp. 1. 231. C. *Poſtremo pituitam neruis, membranis, chartilaginibus, articulis, & linguæ ad motus facilitatem prodeſſe ait.*

G. 3. apho. 12. Ex. 21. F. *Nam cerebrum ſua natura generandis pituitoſis ſuperfluitatibus aptum eſt. cum refrigeratum, alimentum conuincere non poteſt.*

Ibidem. *Ineſt autem, & hoc pituitæ generationi, ut, quæ a forti fit frigiditate, acida euadat, quæ uero a caliditate replente caput, ſalſa: ſicuti ſanè, & quæ*

a pauca fit frigiditate, uel paucam dulcedinem, uel nullam manifestam qualitatem habeat.

Neque enim pituitosus humor, ut biliosus, per cutim euacuatur, propterea quod tum crassus, tum glutinosus sit, neq; extinguitur longa egens concoctione. Gal. d'uic. rat. acut. c. 3.7.133. F.

Demum hyp. abundare inquit in senectute pituitam, nec non hyeme. Gal. de br. deno. dog. hyp. 1.231 B.

DE BILE FLAVA.

REGVLA. XIII.

ET flaua bilis sicut æstas est, ut ait, calida, siccaque. Gal. d'nat. hum. c. 1. 1.32. D.

Vigente autem bilem flauam, æstatis tempore abundare ait. G. br. dog. hyp. 1.251 B.

Bilem flauam continere corpus, ait, non permittere latentes meatus dissolui, incitare, & acuere sensum, concoctioni prodesse, excrementorum ductus faciles, & apertos efficere. Ibidē. C.

Flaua quidem bilis proxima pallidæ est, & eiusdē ferè generis. Gal. 6. de mor. uulg. c. 5. 3. 191. F.

Sic uero, & rubram bilem uocant, quæ sanguinis serum est. Ibidem.

Sed uitellina flaua bile spissescente progignitur, quemadmodum pallida, ex eadem aqueam quandam substantiam accipiente. Ibidem.

Quin etiam quod flauæ bilis succus, qui sanguine multo est calidior, plurimus his sit, propterea calidiores esse florentes quam pueros confirmāt. Gal. 2. de temp. 1.16. E.

Gal. de atra bile. 1.37. A. *Porrò a nobis demonstratum est biliosum humorem in iecinore fieri.*

DE ATRA BILE REGVLA. XIIII.

Gal. de nat. hum. c. 1. 1.32. D. Gal. 1. pr. c.1.4. 164. D. ET NIGRA *quidem bilis pariter atque autumnus, frigida, ſiccaque eſt.*

Nempe atram bilem ex flaua ſupra modum aſſata, & craſſo ſanguine fieri nouiſti. Flaua autem bilis, cum ſupra modum aſſatur, primum quidem in æruginoſum migrat ſuccum, deinde in nigrum.

G.7.apho. 32.Ex.56. D. *Dictum enim a nobis eſt, quod amarę bilis humorem ita medici priſci conſueuere appellare, ſicuti melancholicum ſemper cum adiectione dicunt non ſimpliciter bilem proferentes, ſicuti flauam, ſed atram bilem nominantes.*

Hyppo. 4. aphor.22. 29. F. *Morbi quibuslibet incipientibus, ſi atra bilis uel ſupra, uel infra exierit, letale.*

Gal. 14. met. med. 7.89. E. *Sic & in humoribus, quæ quidem haud dubie nigra eſt bilis, ea talis eſt, qualem modo pinximus, certe acida, & terram fermenti ritu eleuans: tum omni animanti iniucunda. Quæ uero fieri talis eſt idonea, hæc biſſariam nuncupatur, uel melancholicus humor, uel nigra bilis; ſcilicet, qui ſic eam nominant, affirmaturis aliam eſſe nigrã, quæ dum animal naturaliter ſe habet, quotidie gignitur: aliam quę ex uſtione, ac uelut aſſatione conflatur.*

Postea declinante ætate nigra bilis abundat, itemq; autumno. Ga. br. de not. dog. hyp. 1.231 B.

Atram uero bilem sedem, ac ueluti fundamentum esse reliquis humoribus. Ibidē. C.

Porro a nobis demõstratum est melancholicum humorem in Iecinore fieri. Proinde nullum ei peculiare datum instrumentum est ad sanguinis purgationem, quemadmodum utraque uesica, & lien. Gal. d' atra bile. 1.37. A.

Nam hæ biliosi humoris sunt, & serosorum excrementorum; Lien melancolici humoris. Ibidem.

DE MEMBRIS.
REG. XV.

MEMBRA *autem sunt corpora, quę ex prima humorum generantur commistione.* Auic. 1. F. 1. d. v. 8. H

Vero membra animalium partes uocãtur. Gal. in Timæũ Plat. 1.287. A.

Compositio autem atque formatio in corporibus animalium triplex reperitur. Prima quidem earum partium, quæ similares apellantur ueluti arteriarum, uenarum, neruorum, ossium, cartilaginum, ligamentorum, membranarum, & carnium. Secunda instrumentalium cerebri, cordis, pulmonis, hepatis, uentris, splenis, oculorum, & renum. Tertia uero totius corporis. Gal. d' diff. morb. 3. 2. F.

In animali tres truncos, in unoquoque principali membro unum, potes inspicere. s. aortam arteriã ex corde, cauam uenam ex iecore, & dorsi medullam ex cærebro. Gal. de semine. 1. 331. G.

Ibidē.332. C. *Omnia enim quæ carneam speciem præ se ferunt, e sanguine constiterunt; quæ membranea sunt, a semine fuerunt producta.*

Ibidem. D *Si quis, uel adipem, uel carnem a corpore nostro exciderit, loco illius altera, uel adeps, uel caro rursus generatur: arteria autem, uena, neruus, membrana, colligamen, tendo, chartilago, atq; os, ubi semel perierint, iterum renasci amplius nequeunt.*

DE VIRTVTIBVS.

REG. XVI.

Gal. 1. de art. cur. ad Gla. 7. 99. G. VIRTVS *igitur, quam uitalem uocant, quā ex corde prodeuntem ostendimus, ex pulsuū debilitate cognoscitur.*

Ibidem. *At, quæ ex hepatę oritur, ac naturalis dicitur, ex sanguineis egestionibus ab initio aquosis atque tenuibus, postmodum uero crassis admodū fæcis.*

Ibidem. *At, quæ ex cærebro originem ducit, quam pręcipuæ non nulli animalem appellant, ex mortuum uoluntariorum imbecillitate deprehenditur.*

Gal. de ocu. lis. 7. 185. D. *Virtus triplex est, uitalis, naturalis, & animalis.*

Superius animalem tetigimus, Vitalis est, quæ cor,

Ibidem. E. *& arterias facit pulsare.*

Ibidem. *Naturalis triplex est, generatiua, nutritiua, & augmentatiua.*

Ibidem. *Nutritiua quadruplex est, attractiua, retentiua, digestiua, & expulsiua.*

Gal. 1. de crisibus. 4. 129. C. *Quod uero quatuor sunt naturales uires in qualibet nostri corporis parte, alibi ostendimus.*

REGVLA. XVII.

CREAVIT Deus ex concauitatibus cordis sinistram, ut esset armarium spiritus, & minera generationis illius. Auic. de med. cor. trac. 1. 557 E.

Creauitque spiritum latorem uirtutum animæ in membra animalium tendentium mediante ipso. Ibidem.

Creauit itaq; primum appendiculum uirium animę spiritum, & manationem secundam in membris corporis mediante ipso. Ibidem.

Spiritus quidem est res generata ex commistione elementorum, uergens in similitudinem cœlestiũ corporum. Ibidem. 558. A.

Et propterea iudicatur de spiritu, quod sit substantia luminosa: propter quod dicitur de uisiuo spiritu, quod sit radius, atque lux. Ibidem.

Est porro omnium, quæ in corpore sunt leuissimum, tenuissimumque, spiritus. Gal. 3. de nat. fac. 1. 307. F.

Manifestum igitur est, quod aer, qui in nobis genitus, spiritus uocatur, a facultate animali per neruos, & musculos percussus, uox fiet. Ga. đ uoc. inst. dissec. 1. 106. D.

Ergo animalis spiritus cerebrum ueluti fontem esse, clare ostendimus; qui partim ex inspirando, partim ex eo, quod reticularis plexus suppeditat, irrigatur, atque alitur. Galen. 12. met. med. 7. 77. B.

Vitalis spiritus nõ æque euidens demonstratio erat. Sed tamen in corde eum, & arterijs contineri existimare, alienum a ratione non est: eundemq; Ibidem.

nutritum maxime quidem ex respiratione, sed tamen & ex sanguine.

Ibidem. C *Quod si naturalis quoq; aliquis spiritus est, utiq; his quoque in iecinore, & uenis continebitur.*

DE OPERATIONIBUS.

REGULA XVIII.

Gal. 6. de decr. hyp. 1. 260. F. Gal. 1. de nat. fac. 1. 291. D.

OPERATIO *itaque motio est effectiua. effectiuam dico, quæ ex se proficiscitur. Itaque si certa ratione, et uia, quot, et quæ facultates sint, inuenturi sumus: incipiendum nobis ab ipsis operibus.*

Ibidem. *Singula nanque opera ab aliqua procedunt actione.*

Ga. 1 uoc. inst. dissec. 1. 106. B. *Nos naturæ opera imitemur.*

Gal. ars. med. Isag. Ex. 67. C *Læditur autem operatio tripliciter, aut quia debiliter, aut quia uitiose, aut quia nullo modo fit.*

Auic. 1. F. 11. doc. 3. 43. E. *Operationes enim aut minuuntur, sicut oculi minuitur uisio, & rem uidet minorem, quam sit, & a propinquiore spatio. Aut mutantur, sicut cũ oculus uidet illud, quod non est, aut uidet rem, non sicut est. Aut destruuntur, sicut oculus cum non uidet, & stomachus cum nullo modo digerit.*

Au. 1. F. 1. d. 5. 16. E. *Sed Factoris uoluntas est, ut operationes suis approximent principijs.*

DE AETATIBVS.

REGVLA. XIX.

PVER habet eandem rationem in ætatibus, quam uer in quatuor temporibus. Eandem iuuenis, quam æstas; Eandem senex, quam autumnus; Eandem postremo decrepitus, quam hyems. Gal. 8. de decr. hyp. 1.276. G.

Liquet, quod pubertatis tempus usque ad uigesimum quintum annum extendi arbitratur. G.5.apho. 7.38.A.

Verum ætas, quæ est a decimo octauo usque ad uigesimum quintum annum, adolescentium est; quæ autem ab hinc usque ad trigesimum quintum, iuuenum. Ibidem. aphor. 9. C.

Optimam nanque temperiem in adolescentia corpus optinet, reliquæ omnes ætates deteriores hac sunt. Gal. 6. de sanit.tuen. 2. 95. F.

Nec est has ætates annorum numero circumscribere, quemadmodum non nulli fecerunt, nisi forte, in latitudine quadam. Ibidem.

Pubescere quidem incipiunt aliqui, ubi quartumdecimum annum expleuerunt, quidam uno post anno, aut etiam amplius initium; preterea remissionis nonnulli habent statim a trigesimo anno, nonnulli post quintum, & trigesimum. Ibidem.

Attendes omnibus in statibus ætatem cuiusq; hominis, ut sit ad statum appositus. Gal. 1. de mor.uul.c. 2.3.108.E

Aetates omnes sunt quatuor. Aetas adolendi, quæ uocatur ætas alhadate, & est ferè usque ad triginta annos: Postea Aetas consistentiæ, quæ Auic. 1. F. 1. doct. 3. 5. G.

est ætas iuuentutis, & fere a trigintaquinque usq; ad quadraginta annos. Et Aetas declinationis, cum remanentia uirtutis, & hæc est ætas almechthelin, & est usque ad annos sexaginta, Et Aetas declinationis, cum manifesta uirtutis debilitate, & hæc quidem ætas est senij usque ad finem uitæ.

Ibidem. *Aetas infantiæ est, cum membra pueri nondum ad motiones, & ad ambulandum sunt apta.*

Ibidem. *Aetas puerilis est post ambulationem, & ante fortitudinem, quando nondum dentes ceciderint, & nati fuerint.*

DE COLORIBUS.

REGULA. XX.

Gal. 7. de dec.hyp.1. PROPRIUM *autem sensibile uisus, quod primum etiam sensibile nominaui, est colorũ genus, illos enim primos, & per se, & solus ex omnibus sensibus percipit uisus.*

Gale. 1. de symp.cau. 3. 17. A. *Oculis iucundissimum spectrum cæruleus color est: sicuti e diuerso, grauissimum, tristissimumque, quod splendidum simul, albumq; est, quemadmodum sol.*

Gal. 8. de decr. hyp. 1.477.H. *Rubrum colorem gigni ait in sanguine ex ignis abstersione, hoc est depositione, impressioneque eius qualitatis, ac facultatis: ut ex igne elementi, & humiditatis excipientis mistione ipse sanguis efficiatur.*

Gal. ãsub *Lippientibus cæruleus uiridis, nigerque color con-*

fert;albus,& splendidus summe aduersatur;reliqui inter utrunque ambigunt. fig. emp. Isag. 32.B

Eodem modo rubeus color sanguinem expuentibus nocet, & ad cæteros morbos superfluus omnino compertus est. Ibidem.

Vehementer commotis,aut iratis,aut in pudore ueluti reciprocantibus se humoribus inspicere colorem non oportet. Gal. 4. de san. tuen. 2. 8. A.

At si nec ambientis uiolentia calidi frigidiue, nec ullus animi affectus, cuiusmodi iam dictus est, subsit, certissima succi animalis cognitio ex colore datur. Ibidem.

Albiores pituita superante, pallidiores bili abundante cernuntur. Ibidem.

Humorem autem superabundantem ex colore debemus coniectari, nisi aliqui forte in profundum recesserint, color enim similis efflorescit humoribus,si non retrogurgitauerint. G.1.apho. 2. Ex. 3. D.

Hyp. colorem rubeum salutarem quidem diutinum tamen esse uult; nam in prognostico ita ad uerbum scribit. Si uero urina fuerit subrubea, & sedimen subrubeum, & lene: magis quidem hęc diutina,quam illa, sed admodum salubris. G.4.apho. 71. Ex.35. D.

Faciei color bonus, & mæstitia multa malum. Hyp.1.,pr. c.1.4.170. G.

Quod ualde rubrum est,id ad melancholiam idoneũ esse ait in epidemiorum secundo, cuius signum mæstitia existit. Gal.Ibidé.

At uero coloris mutatio pessima est,quoties ad nigrum existat, moderatior uero,quoties in chloron,idest uiride fuerit. Gal. c.1.in prognos. 4.191.D.

Ga. de sym. diff. 3.13. F — Iam quod eorum quæ præter naturam excernuntur, & colores, & odores morbos necessario sequantur, nihil opus est ostendamus: si modo nullum talium sine temperie prouenit.

DE FIGVRIS. R. XXI.

Gal. 6. de anat. adm. 1.85. G. — NVLLVM miraculum est, cuiusq; animantis internam compositionem ex figura exteriorum clare conspecta prænoscere.

Galen. ars. med. Isag. 63. C. — A figura quidem ipsa, si concinna: semper enim hoc bonum est signum.

Gal. de cau. morb. 3.8. F. — Causa autem ob quam figura naturalis permutatur, prima quidem est formatio conceptus in ipso adhuc utero matris uitiata uel ob materię multitudinem, aut ob qualitatem minime aptam, quę naturales seminis motus impediant.

Ibidem. — Secunda uero, si, dum paritur, dumq; fascijs infans inuoluitur, error aliquis committatur.

Mollia siquidem, ac pęne fluxibilia cum sint corpora infantium nuper in lucem uenientium, facile inuertuntur, cum & in exitu a matris utero nõ

Ibidem. — recte ab obstetricibus excipiuntur, & non commode fascijs inuoluuntur, ac deinceps a nutricibus sine modo aut attolluntur, aut reponuntur, & dum præbetur lac, & dum lauatur, & dum fascijs alligatur.

Ibidem. — In his si quidem omnibus, nisi quis infantes commode pertractauerit, facile uniuscuiusque membri forma naturalis euertitur, ac corrumpitur.

Sed & collisæ partes sicuti nares, & circumfractæ, sicuti supercilia cauitatum ossium, quas cotylas Greci uocant, & excisa quandoque ossa, aut magna portio carnis, cum deinceps non æqualiter supercreuerit, hæc omnia occasionem afferunt, ut naturalis figura perdatur. Ibidem. H

Alius autem modus est figurę deprauandæ, qui ob immodicam repletionem, aut alimenti defectum cõtingit, sicuti ijs, qui aut nimis crassi facti sunt, aut nimium contabuerunt, siue id in una tantũ corporis parte, siue in toto corpore eueniat. Ibidem.

Nam & morbus, qui elephas appellatur, & tabes. (Gręcę phthoe) manifestissime figurã immutãt. Resimatur.n.nasus, & labra crassa fiunt, atque aures extenuate uidentur his, qui elephantiasim patiuntur. Atque hi omnino satyrorum effigiem præ se ferunt. Nares autem acutæ, & collapsa tempora, & oculi concaui, & circa scapulas, ac brachia ueluti quædam alæ, his, quos tabes male habet, apparent. Ibidem.

Ex accidenti autem his, qui resolutionem aut distentionem neruorum, aut inflammationem, aut duritiem patiuntur, aut quibus nerui dissecti sunt, aut chordę, aut duris cicatricibus astricti. Ibidem.

DE DISTANTIA INTER MASCVLVM, ET FOEMINAM. REGVLA. XXII.

SAEPENVMERO euenit, ut fœmine patri, mares matri quam similimi nascantur. Gal. 2. de sem.1.338 H.

Ibidem. *Vnde melius fortasse erit, si dicamus, non absolute ex seminis prædominio, sed ex diuersarum partium præeminentia marem, & fœminam procreari.*

Gal.br.dē. dog. hyp. 1.231.C. *In uniuersum autem uiriles temperaturas a mulieribus differre auctor est hyppocrates.*

Ibidem. *Mares autem ad calidius, & siccius temperamentum inclinare: fœminas contra ad frigidius, ac humidius.*

Ibidem. *Et rursus aliud, sed minus discrimen in utroq; sexu seorsim reperiri propter situs regionum, & aeris proprietates, ac uictus rationes.*

Ibidem. *Et mares in dextro uteri latere, fœminas in sinistro generari.*

Hyppo. 5. aphor. 48. *Fœtus mares quidem in dextris, fœmine uero in sinistris magis.*

Ex. 41.H. Gal. Ibid. in com. *Quod propter temperaturam, quæ statim ab initio calidior existit, fœtus masculus generatur in comentarijs de semine est demonstratum: calidior uero temperatura fœtibus aduenit non minime ob locum, qui est dextra uteri pars, hæc autem calidior statim existit propter hepatis uicinitatem.*

Gal. 14. de usu. part. 1. 205. F. *Est igitur fœmina mare imperfectior una quidem, ac prima ratione, quia frigidior: si quidem in animalibus calidum est actiuum magis, frigidū autem calido minus: Secunda uero ratione ea, quæ ex dissectione apparet.*

Gale. 6. de mor. uulg. *Volunt interpretes marem quam fœminam citius concrescere, atq; constitui, eo quod calidior sit,*

atque ob hoc idem ipsum citius moueri aiunt. c.2.3.169. D.
quin etiam inter omnes ferè medicos marem, quam fœminam non solum figurari, sed etiam moueri citius constat.

Illud uerum est, quod & a partu fœmina cum uelocius adolescit, tum prius incrementum in ipsa finitur. Ibidem.E.

DE REBVS NON NATVRALIBVS. REG. XXIII.

Gal.d̄ oculis.7.185. E.

ET RES non naturales, quæ sunt sex, AER, CIBVS, & POTVS, INANITIO, & REPLETIO, MOTVS, & QVIES, SOMNVS, & VIGILIA, & ACCIDENTIA animæ.

De Aere dictum est in. R. VII.

DE CIBO. R. XXIIII.

QVOD uincit, & superat corpus est medicina. Auic.cant. 567. C.

Quod uero nutrit, & auget est cibus.

Error quidem in regimine est, ut post cibum tardæ digestionis exhibeatur cibus facilis digestionis, & sic eius digestio precedet, & retinebitur talis cibus a penetratione propter existentiam cibi tardę digestionis sub ipso. Auic. 1.de remo. nocum.tract. 1.580.G.

Res quidem unctuosæ pingues debilitant stomachũ, Ibidem. 584. C.

& proprie os eius, & oppilant meatus, & prohibent cibum a penetratione: sed nutriunt plurimum.

Ibidem.D. *Cibi quidem calidi, qui sunt, sicut alleum, & cepæ, mordicant stomachum, & lędunt os stomachi, & faciunt cadere uirtutes naturales quatuor, & faciunt accidere in superficiei stomachi, & intestinorum ulcera.*

Ibidem. *Amarum contrariatur complexioni, & appetitui, & naturæ, quoniam est ex rebus magis remotis a substantia cibi, cum cibi substantia sit dulcis, secundum sententiam Galeni, & fortasse amarum facit accidere spasmum.*

Ibidem.E. *Acetosa nocent stomacho, & hepati cum uehementi asperitate ipsorum.*

Ibidem. *Aspera styptica generant colicam, & exicationem humiditatum naturalium.*

Hyppo. 2. aphor. 17. Ex. 12. H. *Vbi alimentum præter naturam plus ingestum est, hoc morbum facit: ostendit autem sanatio.*

Gal. 6. de mor. uulg. com. 1. 3. 155. D. *Cumq; duo ab hac uoce, cibus, apud Hippocratem significentur: in utroq; significato ueridica oratio est: siue de assumptis cibarijs, ex quibus sanguinis multitudo creatur, siue de alimenti recrementis, quæ in intestinis colliguntur intelligas.*

Hyppo. 1. aphor. 11. Ex. 5. A. *In accessionibus abstinere oportet: nam cibum dare nocuum est: & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.*

Hyppo. 2. apho. 38. Ex. 17. G. *Parum deterior potus, & cibus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus est pręferendus.*

Quando

Quando igitur cum uoluptate assumitur cibus, qui paulo deterior est, non modo non manet deterior, sed quandoque redditur melior. Gal. Ibidē in com. H.

Quod fit, ut qui de concoctione scripserunt, ciborum uarietatem, præsertimq; ubi uarijs constent facultatibus, nocentissimam dixerit, utpote quæ ingesta ipsa probe concoqui probiberet. Gale. 1. de rat. acut. 7. 111. H.

DE PANE. R. XXV.

ESVS panum est utilissimus. Gal. 2. de alim. fac. 2. 16. A.

Familiaris cibus est homini panis ex frumentaceis seminibus. Ibidem. C

Panes ex tritico quos furfuraceos appellant parū quidem ipsos alere, uentrem uero multis excrementis implere experietur. Gal. 1. de alim. fac. 2. 9. F.

Præterea panis tritici quod furfur non nihil facultatis habet detersoriæ, merito intestinis irritatis cæleris eorum fit deiectio. Iis autem contrarij quidem sunt panes purissimi, plurimum ponderis exigua mole habentes, omnium uero panum tardissimè deiciuntur. Ibidem.

Cōcoctu autem inter panes triticeos sunt facillimi, qui plurimum sunt fermentati, & pulcherrimè subacti, quiq; in clibano igne moderato fuerunt assati. Ibidē. H.

Inter panes igitur siligineus plurimum alimentum præstat. Ibidem. G

Dictum est in libro Hip. de uictus ratione, panes ex alica factos plurimi esse alimenti. Ibidē. 10. H.

Ibidē. 13. C. *Panis, qui ex auena fit, est insuauis, non tamen aluū aut sistit, aut proritat, sed medium locum obtinet.*

Ibidem. *Perspicuum est, quod panes hordeacei exiguum corpori prębent alimentum.*

Ibidem. *Panis tamen, qui ex milio, & panico fit, exigui est alimenti, ac frigidus.*

DE LEGVMINIBVS.
REGVLA. XXVI.

Hyp. 4. de rat. acut. 7. 146. E. LEGVMINA *omnia flatuosa sunt, & cruda, & elixa, & fricta, minime autem uel macerata, uel uiridia: his autem utendum non est, nisi cum cibarijs, sed horum singula suum uicium habent.*

DE CARNE. R. XXVII.

G. x. met. med. 7. 67. D. VOCATVR *autem caro tantum ea, quæ in musculo est.*

Hyp. 4. de rat. acut. 7. 146. H. *Bubulę etenim carnes melancolica prorritāt pathemata.*

Ibidē. 147 A. *Caprinę carnes, quæ in bubulis mala sunt omnia, habent; et cruditatem, suntq; fluosiores, ructusq; magis generant, & choleram pariunt. Verum, quæ odoratissimę, solidæ, & suauissimæ sunt, hæ optimæ sunt, tū perelixæ, tum frigidæ: quæ uero suauitate omni carent, malè olent, & duræ sunt, hę deterrimæ, & quę recentes, optimæ autem æstate, autumno uero penitus illaudabiles.*

Animalia, quæ herbas uorant, ubi uiridem herbam non habent, praua sunt. Ga. Ibidē. in com.

Quod autem alimonia ad carnis bonitatem plurimum possit, potes ex uulpibus cercior fieri, quę autumno probatissimam ob uuas habēt carnem. Ibidem.

Sic passer, & ficedula maximè laudabilem carnem obtinent. Ibidem.

Autumno igitur capræ nutrimento idoneo destitutę. s. germinibus arborum tum deterrimam, tum per quàm tenuem habent carnem. Ibidem.

Porcelli carnes prauæ sunt, cum uel crudiusculæ, uel ambustę fuerint. nempe tum choleraceæ sunt, & turbatoriæ. Hyp. Ibid. B.

Suillæ autem carnium omnium optimæ sunt: ualentissimæ uero, quæ non admodum neque pingues, neq; graciles sunt, nec uictimæ ueteris ætatem sunt assecutæ. Edendæ uero sunt detracta pelle, & frigidiusculæ. Ibidem.

Ceruina caro est concoctu difficilis, & melancholica. Ga. d ren. aff. dig. & med. 7. 195. F.

Ouilla caro est excrementosa, & mali succi. Ibidem.

Perdices Attagines, Galli, Gallinæ, Colūbæ, Fasiani, Passeres, & ante alias, quę turritę nominantur, hæ nanq; habent naturalem efficaciam extenuandi, & crasse faciendi. Ibidem.

DE CASEO. R. XXVIII.

CASEVS *flatum parit, atq; astrictionem, cibosq; accendit, & crudum quoq; incoctumq;* Hyp. 4. de rat. acut. 7. 145. D.

existit: atque ijs, qui se potu repleuerunt, deterimum est.

DE OVIS. R. XXVIII.

Gal. 3. de alim. fac. 1. 29. G.

OVA quoq; inter alimenta, quæ ab animantibus sumuntur, sunt numeranda, quorum tres inter se sunt differentie. Prima quidem pęnes propriam substantiam: Gallinarum.n. ac Phasianarum sunt præstantiora, deteriora uero Anserum, ac Struthocamelorum: Secunda autem pęnes tempus, aut.n.longo tempore, aut breui sunt ędita: Tertia pęnes cocturæ rationem: nam quædam diutius cocta fuerunt, alia ad mediocrem usque consistentiam, alia duntaxat ex calfacta fuerunt. Secundum quas differentias, alia quidem cocta uocantur, alia tremula, alia sorbilia.

Ibidem. Tremula ad nutriendum omnium sunt præstantissima.

Ibidem. Sorbilia minus quidem nutriunt, sed facilius subducuntur.

Ibidem. Elixa uero, & ad coquendum sunt difficilia, & tardi transitus, crassiusque alimentum corpori tribuunt.

Ibidem. His uero tardius permeant, ac peioris sunt succi, quę in calidis cineribus assantur.

Gal. de remed. par. fac. 7. 150. C. Porro cibus sit boni succi, cuius generis sunt oua.

Gal. đ rat. acut. c. 4. 7. 149. D. Oua autem, & simila, & chondrus crassi sunt succi, & boni, & humorum acrimoniam infrenant.

Sed, & oua ad sorbendum sunt concedenda, & præsertim uitelli eorum: nam hi facilius, quàm pars alba, concoquuntur. Gal. 1. de art. cur. ad Gla. 7.97. D.

DE OLERIBVS. R. XXIX.

QVOD autem olera omnia nutrimentum habeant paucissimum, & ipsum quidem tenue, & aquosum dictum supra a nobis fuit. Gale. 2. de alim. fac. 2.23. D.

Olerum nullum quidem boni succi est.

Oleribus iam in uere paucis utendum, dum æstatem homo attigerit, tum cibis omnibus utendum mollibus obsonijs elixis, oleribus iuxta, & crudis, & elixis. Gal. de suc. bon. & uit. 2. 37. E. Hyppo. de salub. diæt. 2.40. C.

DE FRVCTIBVS.
REGVLA. XXX.

SVNT autem ex ijs quos arbores ferunt, omnes ferè succi mali exceptis castaneis glandibus, quas uocant, quæ, si recte eas conficiat uentriculus, alibiles fiunt, ac crassi succi, minime tamen mali. Gal. de suc. bon. & uit. 2. 37. E.

In cæteris fructibus, qui fugaces uocantur, mali omnes succi sunt. Ibidem.

Pira sanè, & Poma, & Ficus, Persica, Punica, & id genus alia, fructus sunt arborum, quibus homines utiliter uescuntur. Gal. 2. de alim. fac. 2.17. D.

Ficus, & Vuæ, quemadmodum inter fructus autumnales principatum obtinent, ita fugacibus Ibidé. G.

omnibus magis nutriunt, minimumque praui succi habent, presertim cum exactam maturitatem fuerint adepta.

Auic. 1. F. 111. do. 2. 63. D. *Fructus præterea recentes non sunt boni, nisi laboriosis exercitatis cholera rubea abundantibus: & in æstate, & eos ante comestionẽ comedant. Et ipsis quidem sunt, sicut Chrysomela, & Mora, & Melones, & Persica, & Pruna.*

DE PISCIBVS. R. XXXI.

Gal. 3. de alim. fac. 2. 30. A. NAM *in quieto, nullisq; agitato fluctibus mari tanto piscium caro fit deterior, quanto minus exercitatur.*

Ibidem. B. *Eorum autem, qui in fluuijs gignuntur, prestantiores sunt, qui in ijs gignuntur, in quibus aqua rapide fluit, ac copiosa est; qui uero in stagnantibus non boni, præterea pęnes alimenta pisces meliores, peioresue euadunt.*

Ibidem. *Præterea, qui in fluminibus urbem magnam præter fluentibus hominum stercoribus, & prauis id genus uictitant, omnium, ut diximus, sunt deterrimi.*

Ibidem. H *Alimentum, quod ex piscibus saxatilibus sumitur, non modo ad coquendum est facile, sed hominum etiam corporibus est saluberrimum, ut quod sanguinem medium consistentia generet.*

DE POTV. R. XXXII.

POTVS in sermone quotidiano cibo est oppositus. Gale.3.de alim. fac. 2.33. A.

Facilius est impleri potu, quam cibo. Hyppo.2. aphor.11. Ex.12. C

Ex multa potatione rigor, & desipientia malum. Hyppo.7. aphor.7. Ex.54. D.

Quod quidem multa potatio, non aquæ, sed uini potionem significet, unicuique manifestum. Gal. Ibid. in com.

De aqua dictum est in. R. VIII.

DE VINO. R. XXXIII.

VINVM ex secundo est ordine excalfacientium: sed quod admodum uetus est ex tertio: sicut mustum quod uocant ex primo: caliditati eius proportione respondet siccitas. Gal. 8. de simp.med. fa.5.57.B.

At cognitum est, quod maiori discutiendi ui præditum est uetus uinum, præsertim si ex genere natura calidiorum sit, uelut sunt in totum fulua; contraria uero huic secundum uires, tum austerum, tum acerbum. Gal. 3. de cōp. med. 5. loc. 5. 147. A.

Nempe ex uinis albis nullum ualenter calfacere potest. Gal.ð rat. acut.co.3. 7.126. G.

Ipsorum uero uinorum quod album est, & purum, tenuitatis gratia promptè in corpus digeri: sicut e contrario nigrum, & turbidum crassitudinis uitio per uiam hærere, ac tardare. Gal. 3. de nat. fac.1. 308. D.

Sed cum uina fulua caput feriant, quæ aquosio- G.12. me.

omnibus magis nutriunt, minimumque praui succi habent, preſertim cum exactam maturitatem fuerint adepta.

Auic. 1. F. 111. do. 2. 63. D. *Fructus præterea recentes non ſunt boni, niſi laborioſis exercitatis cholera rubea abundantibus: & in æſtate, & eos ante comeſtionẽ comedant. Et ipſis quidem ſunt, ſicut Chryſomela, & Mora, & Melones, & Perſica, & Pruna.*

DE PISCIBVS. R. XXXI.

Gal. 3. de alim. fac. 2. 30. A. *NAM in quieto, nulliſq; agitato fluctibus mari tanto piſcium caro fit deterior, quanto minus exercitatur.*

Ibidem. B. *Eorum autem, qui in fluuijs gignuntur, preſtantiores ſunt, qui in ijs gignuntur, in quibus aqua rapide fluit, ac copioſa eſt; qui uero in ſtagnantibus non boni, præterea pęnes alimenta piſces meliores, peioreſue euadunt.*

Ibidem. *Præterea, qui in fluminibus urbem magnam præter fluentibus hominum ſtercoribus, & prauis id genus uictitant, omnium, ut diximus, ſunt deterrimi.*

Ibidem. H *Alimentum, quod ex piſcibus ſaxatilibus ſumitur, non modo ad coquendum eſt facile, ſed hominum etiam corporibus eſt ſaluberrimum, ut quod ſanguinem medium conſiſtentia generet.*

DE POTV. R. XXXII.

POTVS in sermone quotidiano cibo est oppositus. Gale.3.de alim. fac. 2.33. A.

Facilius est impleri potu, quam cibo. Hyppo. 2. aphor. 11. Ex. 12. C

Ex multa potatione rigor, & desipientia malum. Hyppo. 7. aphor. 7. Ex. 54. D.

Quod quidem multa potatio, non aquæ, sed uini potionem significet, unicuique manifestum. Gal. Ibid. in com.

De aqua dictum est in. R. VIII.

DE VINO. R. XXXIII.

VINVM ex secundo est ordine excalfacientium: sed quod admodum uetus est ex tertio: sicut mustum quod uocant ex primo: caliditati eius proportione respondet siccitas. Gal. 8. de simp. med. fa. 5. 57. B.

At cognitum est, quod maiori discutiendi ui præditum est uetus uinum, præsertim si ex genere natura calidiorum sit, uelut sunt in totum fulua; contraria uero huic secundum uires, tum austerum, tum acerbum. Gal. 3. de cōp. med. 5. loc. 5. 147. A.

Nempe ex uinis albis nullum ualenter calfacere potest. Gal. d rat. acut. co. 3. 7. 126. G.

Ipsorum uero uinorum quod album est, & purum, tenuitatis gratia promptè in corpus digeri: sicut e contrario nigrum, & turbidum crassitudinis uitio per uiam hærere, ac tardare. Gal. 3. de nat. fac. 1. 308. D.

Sed cum uina fulua caput feriant, quæ aquosio- G. 12. me.

med.7.77. A. *ra sunt, nusquam id contristant, urinasq; præter cætera mouent.*

Gale. 7. met. med. 7.45. E. *Aquosum natura appello uinum, quod tenue est, & album, & splendidum, & purum, & Oligophoron.*

Ibidem. *Est autem Oligophoron, quod, si diluatur, minimam sustinet aquæ mistionem.*

Gal. d'suc. bon.&uic. 2. 38. D. *Hac.n.gratia uinis utimur austeris, ut citam aluũ sistamus, alioqui non usuri, quòd ea neq; alimento diducendo conferant, nec gignendo sanguini, nec succi bonitati, nec ciundis urinis, nec sudoribus promouendis, neq; uero subducendæ aluo.*

G.2.apho. 18. Ex.13. G. *Crassa autem uina, & fulua multo quidem magis corpus alunt: sed tantum uincuntur a nigris in nutriendo plurimum, quantum superant in præstando uniuersum, & uelox alimentum.*

Gal. 3. de loc. aff. 4. 18. F. *Præterea uina crassa, nigraq; aptissima sunt, ut ex ipsis melancholicus humor fiat.*

Gal. 3. de alim. fac. 2. 33. B. *Dulcia uero uina conficiuntur in uentriculo, ac distribuuntur facilius quam austera, ut quæ facultate sunt calidiora.*

Hyp. d'rat. acut. co.3. 7.125. F. *Vinum dulce uinosum minus caput grauat, minusq; mentem ferit, atque quouis alio facilius per intestina descendit: lienem tamen, iecurq; tumefacit, picrocholisq; nullo pacto est idoneum.*

Auic. 1. F. 3. doct. 2. 63. A. *Vinum quoq; post cibum, est ex rebus magis nocentibus, quoniam digeritur uelociter, & penetrat, & facit penetrare cibum indigestum, & facit hereditare opilationes, & putrefactiones.*

Ibidē. 64. B. *Vinum non bibatur ergo, nisi posquam ipsum cibum*

fuerit digestum, & descenderit.

Nocet.n.multa, & potentia uina bibita, præcipue cum aliquis ieiunus potauerit, scilicet neruis. Galen.6. aphor.28. Ex.49.A.

DE LACTE. R. XXXIIII.

LAC numeratur inter humida, & uiscosa. Lac quoque inter cibos, qui ab animalibus sumuntur, est numerandum: in quo haud parua est pro anni temporibus differentia, & ea adhuc maior pro ipsorum animalium specie. Siquidem boum lac, crassissimum est, ac pinguissimum: liquidissimum autem, ac minime pingue, camelorum: mox equarum: deinde asinarum: mediæ autem consistentiæ est caprarum: hoc crassius ouium. G. de ocul. 7.189.B. Gale.3. de alim. fac. 2.27.F.

Secundum autem anni tempora, lac post partum est liquidissimum, temporis uero progressu magis semper, ac magis incrassessit. Ibidem.

Aestate uero media, ipsum etiam in medio sue naturæ consistit: post id autem tempus, sensim iam crassescit, quo ad penitus deficiat. Ibidem.

Vere autem ut liquidissimum, ita etiam copiosissimum. Ibidem.

Iniectis in lacte lapillis ignitis tantisper, dum serũ omne consumatur, aluum non subducit, sed contrarium efficit; id ipsum, aut efficiunt non minus quam lapilli, aut etiam efficatius ferrei orbiculi igniti. Ibidem.

Quum tenue serosumq; lac, sicuti minus alit, ita Gal. de suc.

bō. & uic. 2.35. B. *uentrem subducat magis, crassum contra, minus quidem aluum emolliat, at magis interim nutriat.*

Ibidem. C *Ex tribus nanque substantijs constat lac quodque, dissimilium inter se partium: quarum una serosa est, tenuisq;: crassa altera, ac caseosa: Tertia uero pinguis, atque oleosa.*

Ibidem. *Illud hoc loco dixisse satis sit, minime tuto sumi caprarum lac absque melle.*

G.x. met. med. 7.67. B. *Asininum lac dandum hecticis in principio.*

Gal. d' suc. bō. & uit. 2.36. A. *Lac quidem optimi esse succi ab omnibus medicis scriptum reperitur: atq; ideo sunt, qui existimēt, quibus ulcus in pulmone fuerit, posse solo huius usu sanari, duntaxat ante quam magnum id, & callosum fiat.*

Ibidem. *Muliebre porro lac, ut familiare, eiusdemq; nobiscū naturæ cæteris præferunt ad tabificos affectus.*

Gal. 1. de sanit. tuen. 2.65. C. *Atq; optimum quidem est etiam reliquis fortasse omnibus infantibus ipsum lac matris modo nullo morbo sit corruptum.*

Hyppo. 5. apho. 64. Ex. 44. D. *Lac dare caput dolentibus: malum uero & febricitātibus, et quibus hypochondria suspensa murmurantur, & siticulosis: malum autem, & quibus in febribus acutis biliose sunt deiectiones, et quibus sanguinis multi deiectio facta est. conuenit autem, & tabidis dare, qui non ualde multum febricitant: & in febribus longis, & paruis, si nullum ex supradictis signis affuerit, & præter rationem consumptis.*

DE OLEO. R. XXXV.

HVIVS sanè, quod propriè oleum appellitant, plures dico esse differentias. Secundum ętatem, cum aut recens est, aut æstate uigente, aut uetus. Secundum præparandi modum, cum aut simplex, aut cum sale pręparatum. Secundū fructus ipsius diuersitatem, cum is, aut immaturus, aut maturus extiterit. Secundum inductā arte alterationē, cum aut quomodo ab initio præparatū fuit, ita seruatur, aut calidū efficitur. G. de simp. med. fac. 5. 11. G.

Quod oleum calida res sit, indicat id non minimum, quod facile in flammam transmutetur, tanquam ad flammæ naturam proximè accedat: nihil enim frigidum prompte comburit. Gal. 4. de usu. part 1. 137. D

DE MELLE. R. XXXVI.

OMNIS alimentorū materia hactenus duobus generibus est compræhensa, quorum alterum quidem ipsorum a plantis: alterum ab animalibus sumebatur. Ab utroque uero ipsorum mel est secretum; oritur enim in plantarum folijs, est autem neque succus earum neque fructus, neq; pars, sed eiusdem est, cum rore generis. Gale. 3. de alim. fac. 2. 32. F.

Cum mel tenuium sit partium acrimoniæ quiddā habeat, est necesse, qua aluum ad excretionem proritet. Ibidē. G.

Sic etiam sciens mel ipsum siccans, digerensq; putrescentibus esse accomodatissimum. Gale. 5. de cōp. med pro. gen 5. 246. D

REGVLA. XXXVII.

G.1.apho. 2.Ex.3.C. HIPPOCRATES *si quidem omnem euacuationem solet ab euentu nominare uasorum inanitionem quoniam in omnibus euacuationibus contingit uasa inaniri.*

Gal. 1. de sanit.tuen. 2. 68. H. *Iam inanitionem ipsam duplicem quoque esse, alteram excrementorum, de quibus paulo ante diximus: alteram naturalis substantiæ nostræ assidue deffluentis, quæ nutritioni ex aduerso opponitur.*

Gal.de uenæ sect. aduer.6.9. A. *Quia, quod inanitum est, repleri denuo desiderat.*

G.4.apho. 2. Ex.27. D. *Melius igitur fortasse fuerit de omnibus euacuationibus, quas medici moliuntur, circa ægrotantium corpora, nos quoque sermonem repetere. Fiunt.n.hæ aliquando per* MEDICAMENTA, *totum corpus expurgantia, per* VOMITVS, *& deiectiones, aliquando medicina partis alicuius est euacuatiua, ueluti quæcunque per* PALATVM, *&* NARES *a capite abducunt superfluitates. E genere autem superfluitates abducentium sunt, & quæ per tussim expurgant, quæcunq; in pectore sunt atq; pulmone, & quæ per* VRINAS *abducunt totius sanguinis serosam superfluitatem.* CLYSTEREM *quoquæ ex hoc genere feceris, & quodcunque aliud totum corpus æqualiter non euacuat, quemadmodum, &* VENAE *sectio creditur euacuare, & omnino sanguinis extractio quæcunq;, & quouis modo facta. Ex talibus autem est euacuationibus, &*

quæ per VTERVM *fit, & quæ per* ORA *uenarum sedis, & quæ per* EXERCITIA, *et* FRICTIONES, *& omnem motum, at quæ calorem, &* BALNEAS *calidas, præsertim nitrosas, sulfureas, & bituminosas, & ex accidenti* INEDIA.

De Euacuatione, quæ fit per medicamenta, dicetur in libro secundo. igitur dicendum

DE EVACVATIONE QVAE FIT PER VOMITVS.

REGVLA. XXXVIII.

VOMITIO *est affectus uentris superioris uel multitudine grauati, uel ciborum, excrementorumue qualitatem non ferentis, similis diarrhæis.* Gal. 1. de nat. fac. 1. 303. G.

Prius oportet tentare eum, qui elleborum sumpturus sit, quomodo se habet ad superiores purgationes, hoc est ad eas, quæ fiunt per uomitiones. Si igitur non facile purgari uideatur, non oportet huiuscemodi hominem ducere ad elleborum, antequam præparetur: hoc autem fieret, si per continuos uomitus assuescat, is, qui est sumpturus elleborum, ad prompte uomendum. & melius fieret præhumectando corpora plurimo alimento, atque quiete. G. 4. apho. 13. Ex. 28. F.

Quorum alui intestinorum leuitate laborant: hyberno tempore supra purgari malum. Hyppo. 4. apho. 12. Ex. 28. E.

Gal. Ibid. F. *Alter uero pituitosus quando adhæserit intestinis nunquã est per superiora purgandus, hoc est per uomitoriã medicinam. Sola enim euomi natura apta sunt, quæ in uentriculo continentur, quæ uero continentur in intestinis nihil potest per uomitus euacuari.*

G. 2. apho. 16. Ex. 12. H. *Vomitus non est adhibendus ægro unà cum cibi abstinentia.*

Hyppo. 7. aphor. 3. Ex. 54. B. *A uomitu singultus, & oculorum rubor malum.*

Quibuscunq; præciditur cerebrum: ijs necesse febrem, & bilis uomitum superuenire.

Hyppo. 6. aphor. 50. Ex. 52. F. *Prouocatio uomiti in retinendo solutionem uentris iuuat.*

Auic. 1. F. 4. 75. G. Auic. 3. F. 13. trac. 5. 303. D. *Vomitus sanguinis propriè motum eius egredientẽ a necessitate significat, & motus sanguinis, cum egreditur a necessitate portendit mortem, uomitus quidem purus malus est.*

Auic. 4. F. 2. tract. 1. 446. B. *Vomitus fœtidus, malus.*

DE EVACVATIONE QVAE FIT PER PALATVM.

R. XXXIX.

Gal. med. art. const. Isag. 42. B. G. ar. med. Isag. 71. E. *QVAE per palatum excernuntur quomodo affectũ robore cerebrum sit declarabũt. Quæ in capite sunt promptius ex purgantur per palatum.*

G. 4. aph. 2. Ex. 27. D. *Per palatũ tussis, & superfluitates quæ sunt in pectore, & in pulmone expurgantur.*

Gal. 8. de usu part. 1. 168. C. *Sunt duo canales qui per palatum in os totius cerebri excrementa eructãt, qui duo soli purgando*

cerebrum sufficiunt, quando animal omnino rectè habet, alimentumque bellè uincit, ac percoquit.

DE EVACVATIONE QVAE FIT PER NARES. R.

CAETERVM *decliues cerebri meatus, tum per palatum in os, tum per corpus narium conspicuis orificijs, ac magnis sensibilia, ac crassa eructant excrementa.* Gal. 9. de usu part. 1. 171. D.

Quibus nares natura humidiores, & genitura humidior, minus integra sanitate fruuntur: quibus uero contraria salubrius degunt. Hyppo. 6. aphor. 2. Ex. 46. E.

Intus igitur foras per narium meatus excrementa feruntur: foris autem intro facultatis olfaciendi sensibilia. Duabusque his utilitatibus instrumentum unicum subseruit, alteri quidem ad uitam necessariæ, alteri uero ad uitam comodiorem. Gal. 9. de usu part. 1. 168. C.

Quę in capite sunt promptius expurgantur per nares. G. ar. med. Isag. 71. E.

Profluuium sanguinis narium est peculiare in uehementibus febribus ardentibus. Gale. 1. de morb. uul. 3. 104. E.

Et, si e naribus fluxerit sanguis soluitur ægritudo. Hyp. 4. de rat. acu. 7. 135. D.

In acutis febribus quod ex sanguine feruet, ad caput fertur. cum igitur rescissis ruptisq; uenis natura idipsum, una cum aceruatis uaporibus effuderit, cęteris promptius dominatur, & imperat. Ga. Ibidē.

Hyp. 4. de rat.acut.7. 150. F. *Quibus sanguis e naribus profluit, medicamentum non exhibebis.*

Gal. 1. pr. c.3.4. 186. A. *Letale signum est sanguinis e naribus, stillicidijs instar, fluor.*

Hyppo. 4. aphor. 60. Ex.34.A. *Quibus in febribus aures obsurduerunt: sanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata, soluit morbum.*

Hyppo. 6. aphor. x. Ex. 47. C. *Menstruis deficientibus, sanguis ex naribus fluens, bonum caput dolenti, & circum dolenti, pus, uel aqua, uel sanguis effluens per nares, aut os, aut aures morbum soluit.*

DE EVACVATIONE QVAE FIT PER VRINAS.

REGVLA. XXXX.

Gal. ars. med. Isag. 71. E. *QVAE in hepate sunt per urinæ meatus expurgantur.*

Gal. 3. de mor. uulg. 3.131.D. *Vrinam serum esse humorum in uenis contentorum nos Hippocrates docuit.*

Gale. 1. de mor. uulg. 3.111. F. *Per renes, & uesicam siue per urinam purgatur corpus uniuersum.*

G.4.apho. 74.Ex.36. A. *Euacuatio quæ fit per urinas plures exigit dies.*

Gal. 2. de art. cur.ad Gl.7. 102. H. *Laborantibus gibbis hepatis partibus per urinam trahere, & euacuare oportet: concauis autem per excretionem inferiorem.*

DE

DE EVACVATIONE, QVAE FIT PER CLYSTEREM. R. XXXXI.

CLYSTER *est ex genere superfluitates abducentium, quoniam æqualiter totum corpus non euacuat.* G.4.apho. 2. Ex.27. D.

Euacuatio alui per clysterem ualidum non solum ea, quæ circa uentrem, & mesaræum sunt, euacuat, sed etiam, quæ circa hæpatis sima hærent. Gale. 2.de cõp. med. 5. loc. 5. 136.D.

Enema est medicamen nobile in expellendo superfluitates, quę sunt in intestinis, & in sedando dolores renum, & uesicæ, & apostemata ipsorum, & ægritudines colicæ, & in attrahendo superfluitates a membris principalibus superioribus. Quæ uero ex eis enematibus sunt acuta, debilitant hepar, & perducunt ad febrem. Aui. 1.F.4. 77. C.

Clysterizandi hora melior est, cum est aeris frigiditas. Ibidem.D

DE EVACVATIONE, QVAE FIT PER VENAE SECTIONEM. R. XXXXII.

EVACVATIONE *sanguinis refrigeratur corpus.* Gal. quod aui.mor.1. 317.H.

In puero, qui quartumdecimum annum nondum attigit, sanguis non est mittendus. G.11.met. med.7.71. G.

Euacuatio autem omnium humorum æqualiter (quæ quidem exquisitissima est) fit per uenæ Galen. 2. aphor. 17. Ex. 13. E.

sectionem.

G.1.apho. 23. Ex.10. E. *Si sanguis mittatur in ardentissimis febribus usque ad animi defectionem, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur.*

Ibidem. *In maximis etiam inflammationibus, & uehementissimis doloribus nullum maius noui remediũ, quam usq; ad animi defectionem euacuare, adhibita distinctione, an mittere sanguinem, an purgare oporteat.*

G. 11. me. med. 7. 72. D. *Saluberrimũ autem (ut prædiximus) est in fæbribus uenã incidere, non continentibus modo, uerum etiam alijs omnibus, quas putrescens humor concitat: ubi præsertim nec ætas, nec uires prohibent.*

Hyppo. 5. aphor. 31. Ex.40. D. *Mulier utero gerens sanguine misso ex uena abortit, & magis, si fœtus sit maior.*

Gale. 1. de art. cur. ad Gl. 7. 98. D. *Crassis, aut macilentis, puerisq;, ac senibus uena, non est secanda.*

Gal. de sectis ad eos Isag. 16. E. *Sin imbecilla uirtus est, ætasq;, aut pueri natu admodum parui, aut senis in senium longe prouecti, regioq;, aut frigore algeat, qualis Scythia est, aut calore exusta sit, qualis est, quã Aethiopes incolunt, anniq; tempus uehementer, uel frigidum sit, uel incalescat, nemo est, qui uenam discindere audeat.*

Ga. d cur. rat. pro. sang. m. 6. 21. B. *Quocunq; die mittendi sanguinis scopos in laborante inueneris, in eo auxilium illud adhibeto, etiam si uel uigesimus is ab initio extiterit. At qui nõ fuerint hi scopi: morbus ingens, roburq; uirium, excepta ætate puerili, & aere nos ambiente*

ualde calido.

Febricitantibus quacunq; hora uena secanda est, dummodo quod febris ipsa declinet. non febricitantibus uero, præstat mane uenã incidere, haud protinus ex somno excitis, uerum circiter horam unam iam antea uigilantibus. Ibidem.

Vbi.n.totum corpus inanitione indigere inueneris, & sanguinem reuellere a iecore uolueris, & uena in dextro cubito interna non apparuerit, media secanda est, quòd si nec ea se ostenderit, reliqua, ac tertia est incidenda. G. 13. met med. 7. 82. H.

Quibus a uenis sanguinem mittere confert ijs uere uenam oportet secare. Hyppo. 7. aphor. 53. Ex. 58. E.

In affectione quam nephritin apellant, si opus est, uenam, quæ in poplite est, secare expedit, aut certe, quæ in malleolis sunt. porro uteri inflammationes magis etiam, quàm renum a uenis in crure sectis iuuantur. G. de cur. rat. p sãg. m. 6. 19. E.

Venis in cruribus sectis non tantum retrhaunt, sed etiam prouocant menses. Ibidem.

Porro, ut summatim dicã, incipientes phlegmonas REVVLSV *euacuare oportet: quæ uero inueteratæ iam sunt, ex ipsis, si fieri potest, affectis partibus: quod si nequeat, saltem ex uicinis.* Gal. d cur. rat. p sãg. m. 6. 20. G.

Phlebotomia cæphalicæ uenę euacuat sanguinem ex collo, & ex eo, quod est supra ipsum, & parũ de eo, qui est sub ipso egreditur, & terminũ partis hepatis non pertransit. Nigrę uero iudicium inter cæphalicam, & basilicam, est medium. Auic. 1. F 4. 79. c. G.

Et basilica quidem euacuat, quod est a parte ca- Ibidem.

pacitatis uentris, & inferiori uentre. De sceilez uero dicunt, quòd quæ dextra est, doloribus hepatis confert, & quæ sinistra doloribus splenis.

Ibidē. H. Saphena uena, quæ est super partem domesticam alcabi. s. infra eminentias pedis, est manifestior sciatica uena, quæ est in parte siluestri, euacuat sanguinem ex membris, quæ sunt sub hæpate.

DE EVACVATIONE, QVAE FIT PER CVCVRBITVLAS. REG. XXXXIII.

Gal. d cucur. scar. 6. 3. F. CVCVRBITVLA uero potest capitis materiam uacuare, dolorem soluere, phlegmonem minuere, inflationes discutere, appetentias reuocare, imbecillum, exolutumq; stomachum roborare, animi defectiones remouere, quæ in profundo sunt, ad superficiem transferre, fluxiones exiccare, sanguinis eruptiones cohibere, mensium circuitus suggerere, facultates corruptionem inducentes (seu medicamenta mortifera) attrahere, rigoribus finem imponere, circuitus soluere, a cataphora, idest inclinatione in somnum, excitare, somnos conciliare, grauitates alleuare.

Ibidem. B. Cucurbitulę euacuatis prius corporibus utiles sunt, nam, ubi ea plethorica sunt, cucurbitulis non utimur.

Ibidem. Cucurbitulis in affectuum principijs non utimur, quemadmodum sanè nec in ulla alia particula

phlegmone laborante. Sed, ubi tum nihil amplius influxerit, tum totum corpus ante uacuauerimus, usq; postularit, ut aliquid eorum, quę in parte phlegmone laborante continentur, moueamus, eruamusq;, uel ad exteriora extrahamus.

Ventosarum positio absq; scarificatione est causa calefaciendi. Cum scarificatione uero infrigidandi est causa. Auic. 1. F. 2. doct. 2. 40. B.

Ventosæ plus sanguinem subtilem, quam grossum extrahunt, & cutis partem magis mundificant, quam phlebotomia. Auic. 1. F. 4. 80. G.

DE EVACVATIONE, QVAE FIT PER HYRVNDINES.

REG. XXXXIIII.

Gal. de cu. cur. scar. 6. 4. A.

PORRO *interdum euacuare soleo per hyrundinum applicationem.*

Hyrundinum usus pro cucurbitulis esse solet. Ga. de hyrund. reu. cu. 6. 2. D.

Quando hyrundinibus uti opus est, ea pars, cui hyrundines admouendę sunt, nitro prius fricanda, inungendaq;, unguibusue ipsis scalpenda est. Ibidem. C.

Hyrundines si mitescunt, carnem facile apprehendunt; cum aliæ nonnunquam peregrine se se gerant. Gal. de cu. cur. scar. 6. 4. B.

DE EVACVATIONE, QVAE FIT PER VTERVM.

REG. XXXXV.

Gal. 14. de usu. part. 1. 207. B.

IN muliere ætate florente ante cõceptum quidquid sanguinis superflui colligitur, natura singulis mensibus per uenas ad uterum pertinentes id excernit.

Hyppo. 5. aphor. 33. Ex. 40. E. Menstruis deficientibus, sanguis ex naribus fluens bonum.

Ibidem. apho. 32. Mulieri sanguinem euomenti menstruis erumpentibus solutio.

Ibidem. apho 36. Mulieri menses decolores, nec per idem semper tempus uenientes, purgationem indicant esse necessariam.

Ibidem. aphor. 39. Si mulier, quæ neq; grauida est, neq; peperit, lac habet: huic menstrua defecerunt.

Ibidem. aphor. 50. Mulieri si uelis menstrua cohibere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone.

Ibidem. apho. 56. In fluxus muliebri si conuulsio, & animi defectus aduenerit, malum.

Ibidem. apho. 57. Si menstrua plura fiant, accidunt morbi, & si non fiant, ex utero morbi contingunt.

Ibidem. apho. 60. Si mulieri utero gerenti purgationes eant, impossibile est fœtum esse sanum.

Ibidem. apho. 61. Si mulieri cessent purgationes, neq; horror, neq; febris superueniat, & fastidia incidant, iudica ipsam in utero habere.

Gal. d cur. rat. p sãg. m. 6. 20. E Quibus mulieribus menses non fluunt, ut ipsos promoueas tempus consueti mulieri circuitus tribus

quatuorue diebus anteuertas, aut uena incisa, aut scarificatis malleolis cruris unius pauculum euacuato: deinde postero die similiter facito in crure altero, ut tamen etiam istis diebus, in quibus uacuas, & ante eos quatuor aut quinq; extenuantem uictum procures.

DE EVACVATIONE, QVAE FIT PER COITVM.

REG. XXXXVI.

OMNIBVS animalibus natura concipiendi instrumenta tribuit, ipsisque instrumentis eximiam quandam uim uoluptatis effectricem, animæ uero ipsis usuræ incredibilem quandam, atque ineffabilem utendi cupiditatem coniunxit; a qua animalia incitata, ac stimulata, etiam si mentis ac rationis expertia, ætateque tenera sint, prouident tamen non secus, ac si essent prudentissima, ut genus suum sit superstes. Gal. 11. de usu part. 1. 204. D.

Egregium uero proprium quiddam habet generatricium particularum sensus, propterea quòd etiam facultatem habent ualentissimam in mari quidem, seminis expultricem: in fœmina uero, tum hanc ipsam in testibus, & seminalibus uasis, tum attractricem in toto utero. Gal. 1. de simp. cau. 3. 17. G.

Coniunxit enim natura & cum seminis effusione, & cum eius conceptu ingentem cupiditatem, simul ac uoluptatem. Ibidem.

Venereorum uero iuxta Epicuri sententiam, Gale. ars.

med. Isag. 68. E. *nullus est usus salubris. Re uera autem confert, si tantum interualli in eorum usu adhibeatur, ut neq; ressolutio aliqua sentiatur, & ipse se ipso homo quodammodo leuior factus, ac melius spirare uideatur.*

Ibidē. F. *Tempus uero ad uenerem utendum opportunum, cū omnium in rerum circunstātium exquisita mediocritate corpus fuerit constitutum, cum.s. neq; supramodum plenum neque uacuum extiterit: neque in calore, aut frigore, aut siccitate, aut humiditate excesserit corpus.*

Ibidem. *Quòd, si aberrare contigerit, paruus sit error. Melius autem illi calefacto quàm infrigidato, & pleno, quàm uacuo, & humecto potius corpore, quam exiccato uti uenereis.*

G.6.apho. 28. Ex.49. A. *Hæc enim neruosam substantiam prompte percutiunt, sicut, & coitus. Nocet.n.multa, & potentia uina bibita, præcipue cum aliquis ea ieiunus potauerit.*

Auic. 3. F. 20. trac. 1. 371. G. *Virtus erectionis uirgæ ad coitum, & uentositas a corde aduenit, & aduenit ei sensus ex cœrebro, & nuca, & aduenit ei sanguis ex hæpate.*

Ibidem. H *Et desiderium naturale quandoque fit ei propter comunitatem renum, & apud me, principium eius est ex corde.*

Ibidē. 372. G. *Coitus euacuat de substantia cibi postremi, quare debilitatem affert, & euacuat de substantia spiritus rem plurimam, propter delectationem.*

Ibidem. F. *Et ipse coitus confert melancholiæ, et pluribus ægritudinibus choleræ nigræ: propterea quòd læti-*

ficat, & propterea quòd expellit fumum spermatis aggregatum a parte cerebri, & cordis.

Confert doloribus renum repletorum, & ægritudinibus phlegmatis omnibus, proprie in eo, cuius caliditas innata est fortis, quam non diminuit exitus spermatis, & propter hoc requirit appetitus cibum. Ibidem.

Coitus etiam cõmendatur iuuenibus quatenus per eum a nocumentis pernitiosis liberentur. Aui. 1. par. canti. 568. G.

Incurret podagram, & dolores alios ille, qui utitur coitu, immediate post cibum sumptum. Ibidẽ. H.

Nequaquam coitus concedatur macris, senibus, & debilibus. Ibidem.

DE EVACVATIONE, QVAE FIT PER ORA VENARVM SEDIS. R. XXXXVII.

A DIVTVRNIS *sanato hæmorrhoidibus, si una non seruatur, periculum est aquam intercutem uel tabem aduenire.* Hyppo. 6. aphor. 12. Ex. 47. D.

Hæmorrhoidas fieri impossibile absque hoc, quod propter multitudinem, & crassitiem sanguinis ora quarundam uenarum aperiantur, hæpate ad ipsas reponente fæculentum sanguinem, & melancholicum. si quis igitur ei hoc intercludat iter, simul duritiem in hæpate facit, simul multitudine grauans, ac crassitie calorem in ipso natiuum extinguit, cum tale quid accidat, quale in flammis exterioribus, in quibus multa ligna su- Gal. Ibidẽ.

per ingesta suffocant ignem, atq; extinguunt.

Ga. Ibidē. aphо. 11. Hæmorrhoides sanguinem crassum consueuerunt euacuare humore plenum melancholico, talem habente in sanguine consistentiam, qualis est in uinis fex.

G. 4. apho. 25. Ex. 30. B. Iam factæ melancholiæ maximum est remedium sanguinis ex his uenis (quas hæmorrhoidas uocant) profluuium: quam etiam, si futura sit, prohibet.

Ibidem. Non est assuefaciendum ei, quæ fit per hæmorrhoidas euacuationi.

G. 1. pror. co. 3. 4. 185. C. Lumbis dolentibus in his uacuationem per hæmorrhoidas expectare oportet.

DE EVACVATIONE, QVAE FIT PER EXERCITIA.

R. XXXXVIII.

Galen. ad Trasyb. 2. 102. A. Gal. 2. de sanit. tuen. 2. 73. G. EXERCITATORIA sanitatis seruatrix est. Genera exercitationum uoco luctam, pancration, pugillatum, cursum, præter hæc saltus, disci iactus, tum coryco, id est folle, pila uel parua, uel magna, sine opera.

Ibidem. Exercitia simul et opera sunt, cum fodit quis, cum remigat, cum arat, cum uites putat, cum onus gestat, cum metit, cum equitat, cum armatus pugnat, cum iter facit, cum uenatur, cum piscatur, cum alia quæcunq; homines, uel opifices in uita usus causa exercent.

Exercitatione inferiorum iuuantur magis partes, quæ circa toracem sunt. Exercitatione uero superiorum iuuantur, quæ circa uesicam, & renes sunt, lien, uentriculus, iecur, intestina, & colon sicuti in medio superiorum inferiorumque sunt, ita se ad exercitationes habent. Gal. 5. de sanit.tuen. 2.90. B.

Exercitatio ex parua pila omnes alias excellit. G. de parue pil.exer.2. 48. F.

Non uerisimile est corpus, aut animum ullis exercitationibus apta fieri, ubi non mutationes temporum fiunt fortes. Hyp. de aer. aq. & loc. 2.5. E.

Ab exercitatione tria in primis commoda proueniunt, nam instrumentorum duritiam dum inuicem conflictantur, & innati caloris incrementum, concitatioremq; spiritus motum efficit. Ibidem.

Qui exercitantur, his hyeme conuenit currere, & luctari: æstate luctari quidem parum, currere uero haudquaquam: sed deambulare multum in frigore. Hyp. de salub. diæta. 2.42. B.

Nullum genus exercitij, aut perpetuum diem obitur, aut alio tempore quàm ante cibum. Gal. 2. de sanit. tuen. 2.73. H.

Qui ad exercitationes se transferunt: illico enim fluxionum tentantur morbis, nisi prius sint uacuati. Gale. 5. de sanit.tuen. 2. 94. D.

Qui non exercent, ac caloris multum persentiunt æstate uigente, tuto ij fontanam bibant repudiata niue. Gal. de suc. bõ. & uic. 2.39. D.

Vbi quis in exercitatione educatus ad ocium se conuerterit, in cruentas dyssenterias incidere solet. Gal. 5. de loc. aff. 4. 35. D.

Gal. d' sal. diæ. 2. 41. C. *Post exercitationes non tamen frigidæ potio (nisi calidam præbibas) noxa uacat. offendit.n.hæc (s. potio frigida) non obscurè uentrem, ac iecur: nonnullis etiam neruos.*

Gale. 6. de mor. uulg. 3.170. E. *Exercitati cibaria, (ut moris est) illico non assumant in corpore adhuc ab exercitatione calorem seruantes; sed postquam exactè refrigerati sunt.*

DE EVACVATIONE, QVAE FIT PER SVDOREM.

REGVLA. XXXXIX.

Gale. ars. med. Isag. 71. E. PROMPTIVS *enim euacuantur per uentrem quidem, quæcunq; in primis uenis continentur superfluitates: quæ autem in his, quæ in hæpate sunt per urinæ meatus: At quę in toto corpore per Sudorem.*

Gale. 6. de mor. uulg. 3.187. E. *Extenuati humores utiliter difflantur, quos cum pinguiores sunt, sudores citant, per sensiles excretiones natura a corpore propellit, & per cutem calidum uaporem non exhalat.*

Hyppo. 4. aphor. 36. Ex. 31. G. *Sudores febricitanti si inceperint, boni, & tertia die, & quinto, & septimo, & nono, & undecimo, & quartodecimo, et decimoseptimo, et uigesimo, & uigesimoseptimo, & trigesimoquarto. Hi.n. sudores, indicant morbos. Qui uero non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam.*

Ga. Ibidē. 32. A. *Cum sudore morbi plurimi peracuti iudicantur tertio, & quinto die magis quam quarto.*

Sudores frigidi, cum acuta quidem febre, mortem: cum mitiori autem, longitudinem morbi significant. Hyp. Ibid. aphor. 37.

Sudor qua parte corporis est, ibi significat morbũ. Ibid. apho. 38.

DE EVACVATIONE, QVAE FIT PER FRICTIONES.

RECVLA. L.

FRICTIONVM *sex differentiæ sunt secundũ qualitatem, & quantitatem. Quippe mollis frictio pro quantitatis modo triplex opus efficit: Pauca.n. leuiter carnem remittit, ac facile contractabilem, siue tactu mollem reddit: euaporat, & liquat. Mediocris laxa, & fluida carne implet. Simili modo dura pro quantitatis ratione totidem numero effectus reddit. Multa nanque adhibita contrahit, constringitq; corpora, & phlegmone persimile quippiam relinquit. Mediocris implet imminuta, & euidenter circunscripta, expressaque carne. Exigua uero in summa cute ruborem ad tempus excitat.* Gal. 2. de sanit. tuen. 2. 70. F.

Frictionis cũ pinguitudine scopus duplex est nempe, ut uel lassitudinis affectum sanet prius, quàm inauctus febrem accendat, uel imbecillam distributiones uim excitet. Gal. 5. de san. tuen. 2. 89. F.

Excrementa, quæ in musculis coacta sunt, sola frictio educere non potest. Gal. 3. de san. tuen. 2. 79. C.

Considerare præterea oportet, quòd fricationes exercitij loco habentur, maximè in corporibus Ga. đ puero epil. 7. 180. B.

imbecillibus: imo sæpenumero solæ, modo rectè fiant, aliarum motionum uicem supplent.

DE EVACVATIONE, QVAE FIT PER BALNEAS.

REGVLA. LI.

G.7.apho. 42. Ex.57. D. BALNEAE utiles non sunt, ubi inflammatio aliqua, aut absq; inflammatione humoris putredo igneum calorem accenderit, antequàm noxij humores euacuentur, aut concoquantur.

Gal. de suc. bon.& uit. 2. 39. B. Ante balneum exercere debemus, si possibile est.

Gal. 3. de rat.acut.7. 132. G. Non in ægris modo, uerum quoque & in sanis, nullus confestim a cibi, uel potus sumptione lauari debet. nam, qui biberũt, his caput repletur. qui uero cibum sumpserunt, his non caput modo, uerum & corpus totum alimonia ad se prius quàm concocta fuerit trahens.

Hyp.de rat. acu.Ibidẽ. Neque confestim a balneo sorbendum, neque bibendum.

Balneum Peripneumoniæ autem magis, quàm ardenti febri confert, nam lateris, pectorisq;, et

Ibidẽ. H. dorsi mulcet dolorem, sputum maturat, educitq;, & spiritum facilem reddit, lassitudines tollit, mollit articulos, & cutem per summa apparentem, urinas ciet, capitis soluit grauitatem, & nares humectat.

Ibidẽ.133. A. Qui in morbis aluum plus iusto humidiorem habent ij non sunt lauandi, neque hi, quibus magis quàm decet detinetur, & soluta non sit, neq;

quibus uires languent, nec cibum fastidientes, nec nauseabundi, nec biliosa ructantes, nec quibus sanguis e naribus profluit, nisi minus, quàm decet, fluxerit, nec, quod decet te, latuerit, nam, si minus, quàm decet, fluat, lauabis, & si uniuersum corpus in cæteris, & si caput dumtaxat iuuerit.

Quæ.n. fit per balneas euacuatio, parua est, solam ferè cutem euacuat: quæ autem sunt per carnem, & partes solidiores dispersę superfluitates, haud sufficienter balneis euacuantur. Ga.3.aph. 15.Ex.22. G.

Totum corpus equaliter euacuant balnea calida, et præsertim nitrosa, sulfurea, & bituminosa. G.4.apho. 2. Ex. 27. D.

Balnea marina, & sulfurulenta, & aluminosa, & atramentum sutorium olentia, ac bituminosa fortiter resiccant. Gal.7. de cōp. m. 5. loc.5.177. E.

Debes autem scire, quod operatio naturalis balnei est calefacere suo aere, & humectare sui aqua. Auic.1. F. 2.do.2.39. D.

Balneum quoque naturale differentias habet a parte aquarum, quę in ipso fluunt. Si enim fuerint nitrosæ, aut bituminis iudaici, aut sulfureæ, aut cineritiæ, aut salsæ, natura, aut ingenio .s. quod in eis aliquid apponatur, aut in eis coquatur, sicut staphisagria, aut sicut baccæ lauri, aut sicut sulfur, aut his similia, resoluent, & subtiliabunt, & auferent alterbel, & alterbel (.s. mala corporis dispositio humida, & inflatio extremitatum membrorum propter dominium phlegmatis.) et prohibebunt descensionem ad ulcera, & conferunt habentibus uenam medini. Ibidē.F.G

Ibidem. *Aereæ uero aquæ, & ferreæ, & salsæ etiam iuuant in ægritudinibus, quæ sunt ex frigiditatæ, et humiditatæ, & in doloribus articulorum, et podagræ, & conferunt laxitati, & asthmati, et ægritudinibus renum, & fracturæ, restaurationem fortem efficiunt, & conferunt carbunculis, & ulceribus.*

Ibidem. *Eneæ aquę ori conferunt, & uuluæ, & oculo laxo, & humiditatibus auris.*

Ibidem. *Ferreæ uero stomachum iuuant, & splenem.*

Ibidem. *Nitrosæ quidem, & salsæ capitibus, et pectori auxilium præbent, quę materias recipere solent, conferunt stomaco humido, & habentibus hydropisim, & inflationem.*

DE EVACVATIONE, QVAE FIT PER INEDIAM.

REGVLA. LII.

Gal. 1. de art. cur. ad Gla. 7. 98. D. INEDIA *est unus modus, quo corpora nostra euacuamus.*

Gal. đ uen. sec. aduer. Eras. 6. 6. C. *Quòd inedia ad plenitudinis euacuationem conferat, ego quoq; consentio, uerum longo tempore, magnoque cum nocumento eam efficere id dico.*

Hyp. đ rat. acut. 2. 7. 120. E. *Non assuetam cibi abstinentiam facilius omnino ferunt, qui parte superiore pituitosi sunt.*

Gal. Ibidē. *Causa autem, cur inediam pituitosi facilius ferant, est, nam pituita temporis processu coquitur, sanguisq; efficitur: Bilis uero in ipsis inedijs amarior redditur.*

Senes facillime ieiunium ferunt: secundo loco, qui ætatem consistentem habent, minus adolescentes: omnino minime pueri, præsertim qui inter ipsos sunt uiuidiores.

DE REPLETIONE.

REGVLA. LIII.

EX repletione generatur conuulsio, & singultus. Hyppo. 6. aphor. 39. Ex. 50. F.

Ex repletione immodica deprauatur figura. Ga. de caus. morb. 3. 8. H.

Plurimum, atque repente replere periculosum, quoniam omne nimium est naturæ inimicum: sed, quod paulatim fit, tutum est. Hyppo. 2. aphor. 51. Ex. 19. C.

Repletio secundum duos existit modos. est.n. repletio secundum uasa, & est repletio secundum uirtutem. Repletio uero secundum uasa est, ut sint humores, & spiritus. &, si in suis qualitatibus boni existant, in quantitate sui superflui adeo quod uasa impleuerint: hoc autem habens secundum timorem motus existit. Repletio autem secundum uirtutem est, ut non sit nocumentum ex humoribus propter quantitatem ipsorum solum, imo propter malitiam qualitatum ipsorum: quapropter uirtutem malitia suæ qualitatis uincunt, & fiunt inobedientes ad digerendum, & maturandum. Auic. 1. F. 2. do. 3. 45. G.

DE MOTV. R. LIIII.

Gale.3.de mor.uulg. 3.129.D. *NAM cum omnis in actione positus motus sit, sitque quidam in animalibus motus uoluntarius, ut alter inuoluntarius, & naturalis.*

Gal.1. de loc. aff. 4. 7.D. *Priores medici dicere solebant, quod.s. sensus in patiendo, motus uero in faciendo aliquid fit.*

Gal. de fœtu.form.1. 326.C. *Quodq; postea quã formatum corpus fuerit uniuersum, id in toto uitæ curriculo tribus motuũ principijs, ex cerebro per neruos, & musculos, ex corde per arterias, e iecore per uenas gubernatur.*

Auic. 1. F. 2. doct. 3. 50. B. *Cumq; bene consideraueris, nõ inuenies aliud, quod calorem uehementius incendat, quàm labor, & motus.*

Auic. 1. F. 2.do.2.36. B. *Et, cum quisq; eorum superfluus motus existit, infrigidat propterea, quod uehementer calorem ressoluit naturalem, & etiam exiccat.*

Auic. de rem.nocu. trac.4.585 D. *Motus supra cibum corrumpit cibum, & nocet tribus modis; Quorum unus est, quia agitat cibum commotione tali, quòd non adheret cibus superficiei instrumentorum circuentium ipsum, quare non digeritur. Et secundus est, quòd ex motu prędicto spargitur caliditas naturalis ad exteriora corporis, & remanet pars eius interior frigida, & priuatur uirtus digestiua eo, quod de calore naturali requiritur. Tertius modus est, quòd motus talis facit descendere cibum adhuc non digestum.*

DE QVIETE. R. LV.

POTEST enim & de cessationibus, quæ exercitationibus interponuntur, dicta esse scilicet quies. Gal. 3. de morb.uul. 3.170.D.

Sicut.n. exercitia sunt apta, natura exiccare, sic & requies (quòd otium est, & ab exercitatione uacatio) seruat humiditatem. G. 4. aph. 13.Ex.28. F.

In omni corporis motu, ubi laborare cœperit, quies statim lassitudinem aufert. Hyppo. 2. aphor. 48. Ex. 19. A.

DE SOMNO. R. LVI.

SOMNVS autem uniuersaliter est, redditus spiritus animalis ab instrumentis sensuum, et motuum ad principium, cum quo priuantur ipsorum instrumenta a spiritibus in actu. Auic. 3. F. 1. trac. 4. 100. D.

Somnus præterea temperatus, cum humorum inuenit æqualitatem in quantitate, & qualitate est humectans, & calefaciens. Auic. 1. F. 3. doct. 2. 64.H.

Indie quoq; dormire est malum, generat enim ægritudines humectantes, & rheumatismos, & corrumpit colorem, & generat splenem, & laxat neruos, & efficit pigritiam, & debilitat desideriũ, et generat apostemata, et febres frequenter. Ibidẽ. 65. A.

Sed quæ ex figuris somni est melior, est ut super dextrum incipiat latus, & deinde ad sinistrum reuoluatur. Quòd si eius inceptio super uentrem fiat, auxilium fert satis magnum Ibidẽ. B.

in digerendo: propterea quod calorem retinet naturalem, & ipsum comprehendit, quare augetur.

Gale.3.de caus. puls. 4.98.A. *Somnus enim (quod uel ex poetis audias) mortis est frater: Vna illi hæc conuenit cum uiuentibus, confectio alimenti, reliqua mortuis sunt similia, non uidere, non audire, nihil intelligere, uel cogitare, uel loqui, uel sentire, ratione carere, proiectum esse.*

Gal. de usu pul.1.229. E. *Videtur hæc tum merito per somnum fieri, tum cũ spiritus missione consentanea esse, quippe intro magis, quàm foras naturali calore se ferente.*

G.4.apho. 67.Ex.34. F. *At profecto, ut a cibo ad somnum conuersi, implent caput.*

Gale. ars. med. Isag. 67. F. *Aut somni, qui pluribus imaginationibus abundat, quàm prius, futuræ ęgritudinis est indicium.*

Hyppo. 2. aphor. 1. Ex.11. A. *In quo morbo somnus laborem facit, mortale; si uero somnus iuuat, non mortale.*

Hyppo. 4. aphor. 67. Ex. 34. F. *In febribus ex somnis timores, uel conuulsiones, malum.*

DE VIGILIA. R. LVII.

Gale.6. de mor. uulg. c.13. 191. A. *AT IN uigilia naturali calido ad cutim profuso uiscera seipsis frigidiora euadunt, quæ ipsis in somnis in erant, hæ extremis omnibusq; extrinsecis membris in uigilia.*

Hyppo. 7. aphor.67. Ex. 60. E. *Somnus, uigiliæ, utraque modum excedentia, morbus.*

Semper enim somnus humectat, sicut uigilia semper exiccat. Gale.6. de mor.uulg. c.4.3.184. A.

Fortis uigilia potus, cibosque, tum crudos, tum incoctos reddit. Hyp.d rat. acu.c.3.7. 125. B.

DE ACCIDENTIBVS ANIMAE. REG. LVIII.

ANIMI *affectus, uel perturbationes, quæ omnes nouimus, sunt impetus, ira, timor, mæror, inuidia, uehemens cupiditas; mea uero sententia etiam nimio alicuius rei, qualiscunq; ea sit, uel amore, uel odio occupari, in genere affectuum est habendum.* G. d cog. cur. ani. morb. 2. 50. G.

Atq; mori contingit non nullos uehementi dolore adueniente, & timore graui, & uoluptate maxima. Atq; aliqui ob mœstitiam interierunt, sed non illico. Gal.4. de loc. aff. 2. 29. B.

At uir magnanimus neq; ob mœstitiam, neque ob aliam aliquam animi ægritudinem mœstitia fortiorem unquam succubuit. Ibidem. C

Impuris animis si nutrientes sermones offeras, non modo nihil prosis, uerum etiam magnopere obfueris. Gal.1. de simp.med. fac.5.9. D

Mutatus pulsus communem quendam significat perturbationis affectum in animo fuisse ægroti. G.in pgn. c.1.4.192. B.

Accidentia animæ fortia, seu superflua digestionem fieri prohibent.

LIBER DE REBVS, QVAE SVNT EXTRA NATVRAM.

REGVLA. LVIIII.

Galen. de ocul. 7. 185.E.

RES extra naturam sunt tres, MORBVS, CAVSA morbi, & ACCIDENTIA morbum concomitantia.

DE MORBO. R. LX.

G. 2. met. med. 7. 10. C.

NAM contrarium sanitati affectum, a quo lędi actionē dicimus, morbū tantū apellamus, siue diutius hic, siue breuis sit, siue momēto duret.

Galen. de ocul. 7. 185 E.

Morbus generaliter triplex est, quia corporis compositio trina est.

Ibidem.

Prima corporis compositio est, in membris simplicibus, ex elementis compositis, in quibus quædam morbi species generātur, quæ duobus modis sunt, uel simplices, uel compositæ. Simplices quidem sunt calida, humida, frigida, & sicca. Compositæ uero sunt, calidæ, & siccæ, calidæ, & humidæ, frigidæ, & humidæ, frigidæ, & siccæ.

Ibidem. F.

Secunda corporis compositio est in membris, quæ composita uocantur, ex simplicibus compositis, in qua fiunt morbi, quatuor modis: aut secundū formam membrorum, aut secundum compositionem, aut secundum magnitudinem, aut ecundū numerum. Secundum formam, quinque modis in figura, foramine, concauitate, lenitate, aut asperitate. Secundum compositionem dicitur, cum a loco mutantur, uel in loco malo ponuntur. Secūdum magnitudinem bifariam, uel ultra mo-

dum,uel infra. Secundum numerum similiter, uel ultra modum,uel infra, ultra modum naturaliter,uel extra naturam.

Tertia corporis compositio est, corporis totius ex unitate simplicium,& compositorum membrorũ facta, in qua morbus generatur, qui separatio iuncturę uocatur,hęc sunt genera morborum,& species. Ibidem.

Soluitur autem continuitas incisione,exesione, fractione,& tentione. Alteratur uero substantia, caliditate, frigiditate,humiditate, & siccitate. Læditur autem operatio tripliciter,aut quia debiliter,aut quia uiciose,aut quia nullo modo fit. Gale. ars. med. Isag. 67.C.

Nam considerare oportet an morbus sit acutus, uel peracutus,uel longus,& quando maximè in uigore consistet. G.1.apho. 12. Ex. 5. B.

Acutorum morborum non omnino sunt certæ prænunciationes,aut salutis,aut mortis. Hyppo. 2. aphor. 13. Ex. 14. B.

Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur. Hyppo. 2. aphor.23. Ex.15.D.

Alij acuti sunt,qui uocantur ex decidentia,& iudicantur in quadraginta diebus. Gal. Ibid. E.

Iam uero morbus ille est peracutus, qui statim in summo uigore consistit. Statim autẽ est intelligẽdũ,circa primos quatuor dies,uel paulo ulterius G. 1. aph. 7. Ex.4.E.

Morbus longus acuto est oppositus. Gale.3.de dieb. dec. 4. 160. D.

Tempora morbi quatuor sunt numero,Principium, Incrementum,Status,& Declinatio. Gal. 1. de crisibus.4. 125. G.

Morbi omnes quidem in omnibus temporibus fiunt, quidam uero magis, in quibusdam ipsorum, & fiunt,& excitantur. Hyppo. 3. aphor. 19. Ex. 23. H

REGVLA. LXI.

G. 1. met. med. 7. 8. G. CAVSA morbi est affectus præter naturam, morbum ipsum præcedens.

Gal. 1. de morb. uul. 3. 100. G. Causæ morbi tres sunt; Vna quidem in ijs, quæ offeruntur; Altera uero in operibus, quæ obimus; & Tertia in ijs, quæ extrinsecus occurrunt nobis: per unam quanque communes morbi fieri consueuere, ac præsertim quidem per affectum aeris nos ambientis.

Gale. 6. de loc. aff. 4. 38. G. Necessarium est præscire causas extrinsecus aduenientes, quas propriè procatarticas, idest initiatrices, medici uocant.

Ga. d. causis morb. 3. 7. B. Causas antecedentes siue præcedentes quascunque in animali, uel dispositiones, uel motus præter naturam, ægritudinum nominant.

Ibidem. Causæ uero, quę extrinsecus adueniunt, & alterant corpus, atq; transmutant naturam uehementer; præincipientes causas apellant.

G. 9. met. med. 7. 59. H. Ambiens uero is est, sine quo, nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest, hic igitur causæ, sine qua non, obtinet rationem.

Auic. 1. F. 1. doc. 1. 3. D. Causarum uero quatuor sunt species: materiales, efficientes, formales, & finales.

Ibidem. Causæ materiales sunt res subiectiuæ in quibus fundatur, uel inuenitur sanitas, & ægritudo, ut membrum, spiritus, humores, & elementa.

Ibidem. Efficientes autem causæ, sunt causæ permutantes, & conseruantes humani corporis dispositiones,

sicut aer, aqua, comestio, & potus, & quæ continuantur.

Formales uero causæ, sunt complexiones, & uirtutes, quæ post eas eueniunt, & compositiones. Ibidem.

Finales autem sunt operationes. Ibidem.

Causæ dispositionum corporis.s.sanitatis, & ægritudinis sunt tres Antecedentes, Primitiuæ, & coniunctæ. Auic. 1. F. 2. doc. 2. 30. F.

Antecedentes sunt causæ corporales.s.humorales, aut complexionales, aut compositionales, et ipsæ quidem sunt, ex quibus aduenit dispositio non primo aduentu, sed aduenit ex eis aliquo mediante. Ibidem. G

Primitiuæ sunt causæ non corporales, ex quibus proueniunt dispositiones corporales aduentu primo, aut non primo. Ibidem.

Coniunctæ, sunt causæ corporales, ex quibus dispositiones corporales proueniunt aduentu primo.s. absque medio. Ibidem.

DE ACCIDENTIBVS MORBVM CONCOMITANTIBVS.

REGVLA. LXII.

QVAE uero constitutionem, unde actio nascitur, necessario sequitur, sanis quidem nobis accidentia, ægrotantibus symptomata nuncupantur. G. 1. met. med. 7. 8. D.

Tria prima symptomatum genera. Vnum actionis amissio. Alterum actionis læsio. Tertium eius Gal. 2. de simp. cau. 3. 24. B.

in alteram speciem mutatio.

Galen. de subf. emp. Isag.32.C *Symptoma tamen ab ægritudine distinguendũ est, nam symptoma simplex affectus est, & non ex alijs cõflata cõgeries. Sic.n.lateris dolor symptoma uocatur, tussisq; eodẽ modo, et sputũ seu flatum, seu liuidũ, siue cruentum fuerit, item difficultas anhelitus, & calor præter naturã; Quòd uero ex omnibus his conficitur, egritudo appellatur, quæ affectus quoq;, & ualetudo, & morbus, si licet, uocari potest.*

Gal. med. artis conf. Isag.40. C *Symptomata, quæ ex necessitate sequuntur morbũ, id est passionis significatiua, pathognomonica appellantur.*

Gal. 3. de simp. cau. 3.25.D. *Oportet autem medicum, non solum symptomatum agnoscendorũ facultatem habere, ac generationis eorum inueniendæ peritum esse, sed etiam modi, quo generentur: qui inter effectricium causarum differentias numerantur.*

G.12.me. med.7.74. H. *Vbi uirium roboris fiducia est, adeo nunquam contra symptoma pugnamus, ut contra prorsus per ea nonnunquam presidia, quæ dolorem afferunt; morbos ipsos curemus.*

DE NATVRA. R. LXIII.

Gale.1.de nat. hum. 1.25.G. APPARET *enim, quòd, quid nam sit prima essentia, exponunt: quàm inquiunt ingenitã, & æternam esse, omnibus corporibus generabilibus, ac corruptibilibus subiectam: et quæ insit iuxta propriam rationem unicuiq; eorum,*

quæ corrumpuntur atq; generantur.

Sanè naturam, cum dico, uniuersam substantiam, ac temperiem, quæ ex primis elementis conflatur, significo, calido, frigido, humido, sicco. Gal. 3. de temp. 1. 23 H.

Omnes antedicti sapientiæ professores ostendunt, neminem posse morbos comode curare, qui corporis uniuersi naturam non perspexerit. G. 1. met. med. 7. 3. F.

Medicũ autem naturæ esse ministrũ, primariamq; esse illius artem quandã, ac ritè celebre esse dictũ illud, Natura in omnibus auxiliatur: quin etiã naturã morbos iudicare, naturas morborum esse medicatrices, a priscis sapiẽtibus abũdè tradita. Galen. ad Thrasib. 2. 105. G.

Vsq; adeo naturæ uis ad ea, quæ animalibus conducunt, rectius præstanda, qualibet arte præstantior est. Gale. 6. de mor. uulg. 3. 188. G.

Verum, quoties natura euacuationem absoluit, nulla insuper opus est medicina: cum autem ipsam mediocriter, ac segnius peragit, quod deest medicos supplere conuenit. Gal. de his quos pur. op. 5. 89. A

Aegritudo corporis est, sicut inimicus exterior ciuitatis, & natura, sicut dominus conseruans eã. Auic. 4. F. 2. tract. 1 438. G.

DE REVVLSIONE, SIVE AVERSIONE. R. LXIIII.

ETENIM *in incipientibus auertere, quod influit, expedit, in inueteratis autem, ipsum tantũ, quod effectæ parti infixum est euacuare.* G. de cur. rat. p sãg. mis. 6. 20. G.

Reuellere, si, quo non oportet, uergat, sin autem quo oportet, his oportet aperire, quemadmodum singula uergunt. Hyp. 6. de mor. uulg. 3. 165. E.

Gal. Ibidē. in com. *Alias, & hæc didicisti, ducenda planè esse, quo uergunt per conuenientes regiones: auertenda autē, atque reuellenda, quæ non bene uergant.*

G. 4. met. med. 7. 28. C. *Quare nunc quoq; , si etiamnum fluxio ualenter irruat, reuellere ad contraria studebimus, utiq; , si in superioribus ulcus cōsistat, per inferna purgantes: sinautem in inferioribus sit, superiorem uentrem uacuantes.*

Ibidem. *At si iam fluxio resistit, atq; in membro inhæsit, deriuare per uicina magis expedit.*

Gale. art. med. Isag. 71. E. *At attrahendi ex omni loco ad oppositas partes cōmunis indicatio est, ad quàm maximè distantia: deriuandi uero ad uicina.*

G. 5. aph. 68. Ex. 45. D. *Auersio autem ad contraria fit, secundum longitudinem quidem supra, & infra: secundum latitudinem uero hinc, & inde, hoc est a dextris, & a sinistris: secundum altitudinem uero ante, & retro.*

G. d rem. par. fac. 7. 160. F. *Magnas preterea cucurbitulas præcordijs adfigere, iecoris quidem, profluente dextra nare sanguine, sicuti sinistris siue lieni, affecta nare sinistra.*

OMNIBONI FERRARII DE REGVLIS MEDICINAE

LIBER SECVNDVS.

De parte Curatiua medicinæ. R. I.



V RATIVAM *in* CHIRVRGIAM, *V*ICTVS *rationem, et* PHARMACIAM *secamus.* Galen. de subf. emp. Isag. 32. A

Sanè nominatur hæc ipsa quoque artis pars, curatrix: quæ utiq; ab ea, quæ purè synceréq; prophylactice dicitur, in eo distincta est, quòd sub hac iam sensibiliter ex ipsa causa morbus est genitus, in prophylactice uero est futurus. G. 11. me. med. 7. 68. D.

Demonstratum enim a nobis est in aliјs libris, quòd non contingit quempiam recte mederi, ne minimis quidem egritudinibus, nedum adeo magnis, ut est epilepsia, nisi methodum aliquam curatiuam nouerit. G. đ puero epilep. 7. 179. F.

Ergo, quòd ultimum in ipsa resolutiua methodo est inuentum, id primum omnium in curatione est peragendum. G. 11. me. med. 7. 70. D.

Si quidem ad curationem pernosci oportet humoris G. 14. me.

med.7.92. E. *tum copiam, tum crassitudinisq; eius modum, tum potentiam, ueluti statim in herpete, quoniam humor tenuis est.*

DE CHIRVRGIA. R. II.

Gal. de rat. acut. com. 1.7.108.G *VT qui per cõsuetas tum sectiones, tum aductiones, & quæcunq; alia manu fiunt chirurgia nuncupatur.*

Gal. 1. de anat.adm. 1.64. D. *Quæ uniuersa, tum medicinæ parti, quæ manu medetur (χειρουργίαν Græci uocant) tum actionibus inueniendis, haud parum profuerit. Etenim in chirurgia interim musculos ipsos propter abscessus altiores (humorum illisiones) & putrifica uitia incidere cogimur. Actionis cognitio maximè ex usu est, ut pernoscas in magnis uulneribus ubi musculus totus ex transuerso fuerit dissectus, functionem abolitam.*

Gal. 3. de cõp. med. per.gen.5. 231. F. *Optimè igitur, uelut alia pleraq;, etiam in his permulti medici clarissimi dixerunt, medicinæ partes mutuam opem requirere: tum quæ manu, tum quę medicamentis, tum quę uictu medetur, primam Græci Chirurgicen, alteram pharmaceuticen, tertiam diæteticen nominant: ac sanè maximè illam quæ manu curat, reliquis duabus indigere.*

Gal. 4. de dig.pull.4. 70. D. *Nam compaginum usum, & instrumentorum, & uero dissectiones, usumq; fasciarũ, et laqueorum, præterea reliquas Chirurgias medico necessarias, citra tuam operam fortaße discas.*

Chirurgia est artis curatricis pars certissima, quæ propellit, ac uincit omne genus morborum corporis humani, quod sine instructione manus, aut organi ope sanari non possit. Faloppius in lib. de ulcer. cap. 2. 2.

DE VICTVS RATIONE. R. III.

VICTVM *appello, non hunc tantũ, qui cibo, & potione constat, uerũ etiam qui omnibus alijs, ut ocio, exercitatione, balneo, uenere, somno, uigilijs, & uero omnibus, quæ quouis fiũt modo in corporibus humanis.* Gale. 3. de mor. uulg. co. 3. 3. 141. F.

Sed de dieta idest uictus ratione, nihil, quod effatu dignum sit, conscripserunt ueteres, quamquam id magnum esset. Hyppo. de uict. rat. 7. 108. G.

Porro quod modo curandæ lippitudinis, uerum etiã cuiusuis ferè alterius ægritudinis, primus præcipuusq; curandi scopus consistat in exacta uictus ratione, neminem fugere existimo. Gal. de remed. par. fac. 7. 156. B.

Ita nanq; ad animi quoq; affectus, non nihil lucri faciet, ipsa nimirum recta, uictus ratione mores quoq; probos reddente. Gal. 1. de sanit. tuen. 2. 64. H.

Nam offensiones, ex aere si prouideas, ubi, & quemadmodum fiant, toto uictus genere a tempestate dominante diuerso instituendo declines. Gale. 3. de morb. uul. co. 3. 3. 143 E.

Vbi igitur morbus peracutus est, statim et extremos habet labores, & extremè tenuissimo uictu utendum est. ubi uero non, sed pleniorem uictum contingit adhibere: tantum cibi indulgendum est, quantum morbus extremis est mollior. Hyppo. 1. aphor. 7. Ex. 4. D.

Ibidem. A *Victus tenuis, atq; exquisitus in passionibus quidem longis semper, in acutis uero, in quibus non conuenit, periculosus.*

Hyppo. 1. aphor. 16. 8. H. *Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè uero pueris, & alijs, qui tali uictu consueuerunt.*

DE PHARMACIA. R. IIII.

Gal. 1. de rat. acu. 7. 108. G. TERTIAM *ab his medicinæ partem pharmaceuticen dicunt, quæ scilicet per* MEDICAMENTA *absoluitur, perficiturque.*

DE MEDICAMENTIS. R. V.

Gal. 5. de simp. med. 5. 2. C. MEDICAMENTUM *omne id dicimus, quod naturam nostram alterare potest, sicut (puto) nutrimentum, quicquid substantiam augere.*

Gal. 4. de simp. med. fac. 5. 31. G. *Vsus est frequenter hominibus medicamentorum, ob id ipsum tantummodo, ut aut refrigerent, aut humectent, aut calfaciant, aut siccent, aut per coniugationem horum quid agant: interim uero, ut, quod supramodum laxatum est, contendant, atque contrahant, aut, quod intensum est, laxent, aut, quod condensatum est, rarefaciant, aut rarũ condensent, aut durum e molliant, aut immodicã mollitiem ad duritatem reuocent, aut plenum* EVACUENT, *aut uacuum impleant, aut generis eius aliud quid agant.*

Medicatio

Medicatio autem, quæ fit, cum medicamentis tres habet regulas; Vna earum est regula eligendi eius qualitatem. s. eligendi ipsam calidam, aut frigidam, aut humidam, aut siccam. Et secunda est regula ipsius eligendi quantitatem: & hæc quidem regula diuiditur in regulam mensurandi pondus eius, & in regulam mensurandi ipsius qualitatem. s. suæ caliditatis gradum, aut frigiditatis, aut reliquarum ab istis: Et tertia est regula ordinandi suam horam. Auic. 1. F. 4. 71. B.

DE EVACVATIONE, QVAE FIT PER MEDICAMENTA.

REGVLA. VI.

SI adest CRVDITAS *humorum, oportet* COCTIONEM *præire, subsequi uero* DISCRETIONEM, *& postea euacuationem, ut bona sit* CRISIS, *siue iudicium.* G. 4. aph. 22. Ex. 29. G.

Et quarta quidem est hora euacuationi ipsius, n. i dicit Galenus penitus, quòd in chronicis ægritudinibus maturatio (. s. concoctio) est expectanda, & nihil aliud. Auic. 1. F. 4. 73. B.

Et tu quidem iam sciuisti, quid sit maturatio: & & antequam euacues, & post maturationem, ex subtiliatiuis in potu tribuere debes, sicut aquam hyssopi, & hasce, & seminum. Ibidem.

Sed & in acutis etiam ægritudinibus maturationem expectare melius est, et precipue cum quietæ fuerint. Quòd si mobiles fuerint, tunc ad Ibidem.

euacuandum ma teriam festinare erit melius, quoniam nocumentum motus earum est maius, quàm suæ euacuationis, antequam ipsa sit matura: & proprie cum humores fuerint subtiles, & præcipue cum in concauitatibus uenarum fuerint, & non in membris ingredientes.

Hyppo. 2. aphor. 9. Ex. 13. A. *Corpora cum quispiam purgare uoluerit, oportet fluida facere.*

Hyppo. 4. aphor. 1. Ex. 27. A. *Uterogerentes sunt medicandæ si materia turget, quarto mense, et usq; ad septimum, sed hæ minus, iuniora autem, & seniora uereri oportet.*

Ibidem. apho. 2. C *In medicationibus talia educere è corpore, qualia & sponte prodeuntia utile, quæ uero contrario modo prodeunt cohibere oportet.*

Hyppo. 1. aphor. 25. Ex. 10. H. *Si qualia oportet purgari, purgentur confert, & facile ferunt; si contra difficulter.*

Hyppo. 2. aphor. 36. Ex. 17. F. *Qui salubritatem corporis habent, cum per medicamenta purgantur, cito exoluuntur: &, qui prauo utuntur cibo.*

Hyppo. 4. aphor. 5. Ex. 28. A. *Sub cane, & ante canẽ difficiles sunt medicationes.*

G. 1. aph. 21. Ex. 10. A. *Ad quem locum uergit natura eo ducere, & euacuare humorem noxium conuenit.*

G. 3. aph. 15. Ex. 22. G. *Neq; tamen ea, quæ fit per purgantia pharmaca, superfluitatũ euacuatio idonea est. Nã ualde indigentibus, & ex longis interuallis utilis est.*

Ibidem. *Si uero quispiam uoluerit bis in mense, aut semel saltem ea uti, ueritus ne superfluitatum multitudo aggregetur: præter id quod nocebit, corpora etiam in malam trahet consuetudinem.*

Hyppo. 1. aphor. 22. *Concocta medicari atq; mouere, non cruda, neq;*

in principijs, modo non turgeant: plurima uero non turgent. Ex. 10. B.

Nam ut in uniuersum dicamus, in omni euacuatione uires ægroti oportet attendere; & donec tolerant, nec laborant, tentandum est humorem exuperantem educere. cum uero dissoluuntur uires, etiam si restent aliquę superfluitates: cauere oportet earum euacuationem. G. 1. apho. 3. Ex. 3. H.

Quando uelimus euacuare, ętatem, tempus anni, et regionem, & præsentem constitutionem, & eius, qui afficitur robur, habitumq; & consuetudinē, atq; ipsam ægritudinis naturam diximus considerandam. Gal. 2. de art. cur. ad Gl. 7. 101. F.

Melius est, eos, qui corripiuntur æstiuo tempore febre tertiana, circa finem ueris purgare, ut præseruentur, sicuti illos, qui morbo comitiali apoplexia, & alijs passionibus, quæ ex crassis humoribus generantur, præstat circa ueris initia euacuare. G. 6. apho. 47. Ex. 52. D.

In acutis passionibus raro, & in principijs medicinis purgantibus uti, & hoc cum præmeditatione faciendum. Hyppo. 1. apho. 24. Ex. 10. E.

Medicari in ualde acutis, si materia turget, eadem die: tardare enim in talibus malum est. Hyppo. 4. aphor. 10. Ex. 28. C.

Decet. n. cum euacuatio requiritur non simpliciter ad ipsam accedere, sed prius definientem, qua ratione facienda sit, & quæ debeat esse euacuanda materia, per quam regionem, quo tempore, & qua mensura. Gale. 6. de mor. uulg. 3. 166. E.

Vt ijs, quæ foris admouentur, attractio tuta sit, G. 8. met. med. 7. 52. F.

utilissimum est corpus inanire.

Gal. đ ren. aff. dign. & med. 7. 193. E. *Non oportet simul uenam secare, & purgare.*

Oportet ut membrum egressionis ignobilius sit illo, a quo fit euacuatio, ne materia ad illud declinet, quòd est nobilius.

Aui. 1. F. 4. 73. A. Ibidem. G *Si humores fuerint æquales præmitte minutionem: & si postea humor superabundauerit, euacua: quòd si ęquales non fuerint, in primis superabundantem euacua humorem, donec æquetur: postea minue.*

Ibidē. 74. C. *Somnus, cum post uentris solutionem multum, aut sitis fuerit, multa demonstrabit, quòd euacuatio iam perfectæ mundauit corpus, & contulit.*

DE CRVDITATE. R. VII.

Gal. 8. de cōp. phar. 5. loc. 5. 194. B. *CVm igitur hæpar præ imbecillitate, ex uentre, & intestinis alimentum, trahere nō potest, liquida, & non dum iuxta modo exuccata, per sedem excernuntur, & si quidem uenter simul, cum hoc uiscere fuerit imbecillis, ac nō probe concoquens cruda uocantur.*

G. đ simp. diff. 3. 11. C. *Vitia quædam actionum sunt, sed etiam immobilitas, & insensibilitas. Ad eundem modum, nec mala solum concoctio, sed etiam cruditas.*

Gal. 5. de loc. aft. 4. 33. A. *At quia coctionis opus in partibus, ab ore inferioribus uentriculi fieri nemo negat, necesse est hāc ipsam partem, quum malè disposita fuerit, cruditatum esse causam.*

G. 1. apho. *At uero* SIGNA *cruditatis diutinum, quidem ex*

necessitate morbum significant: sed, quantum in ipsis est, neque moriturum, neque euasurum, e morbo hominem ostendunt. 12. Ex. 6. D.

DE COCTIONE. R. VIII.

VOCATVR *autem alteratio ipsa, usq; quo in similitudinem partis, quę nutritur, transmutatur concoctio. Vbi uerò iam parti apponitur nutritio.* Gale.8. de cōp. phar. 5. loc. 5. 194. A.

Perinde, & concoctiones in dormientibus efficatius, quàm in uigilantibus fieri, non solum in uētriculo comestorum ciborum, uerum etiam humorum in iecore, & uenis corporis abditas sedes in dormientibus calidiores effici signum est, cum a nobis concessum, & supra ostensum sit ingenitum calorem omnium in corpore concoctionum præcipuum esse opificem. Gale.6. de mor.uulg. 3. 183. D.

At concoctio crassiorem reddit non solum urinam, sed etiam deiectionem, quoties bene in uentre concoquatur. Gal. co. 2. in pgnost. Hyppo. 4. 201. B.

Porrò, si humidiora, & olentiora, & flatus plena excreuerit, planum profectò est non concoxisse probè. G. 7. met. med. 7. 45. A.

Nempè uentris exquisitam concoctionem, ex deiectionibus. Iecoris, & uenosi generis, ex naturalibus urinis. G. de ren. aff. dign. & med. 7. 196. B.

Perfecta igitur coctio est, quando in urinis subsederit aliquid album, & leue, & æquale, & continuum. Gale. 1. de crisibus. 4. 132. C.

Gale. 8. de cōp. phar. 5. loc. 5. 194. A.

Est igitur hæc ipsius facultas principalissima, & ferè prima iecoris, concoquere uidelicet, & permutare, ac alterare, atq; assimilare sibi ipsi alimentum.

DE DISCRETIONE. R. IX.

G. 3. met. med. 7. 18. D.

Ibidem.

QVIPPE discretiones in quaque arte proprium a comuni secernere conatur. Quantoq; plura quis discreuerit, limitaueritq;, eò propius ad proprietatem accedit.

DE CRISI. R. X.

Ga. 2. aph. 23. Ex. 15. D.

HVIVSCEMODI enim permutationes, quæ do repente in morbo fiunt, Hyp. crises uocat, id est indicationes: in quibus nonnunquam subito integra sanitas restituitur, aut moritur æger: nonnunquam uero magna, fit ad salutem, uel ad mortem permutatio, non tamen, aut subito sanatur, aut moritur: ita ut quatuor sint in ipsis subitæ permutationes, quas ipse docuit in libro epidemiorum inquiens: Ad salutem, aut mortem, uel inclinatio ad melius, aut ad peius.

Gal. 3. de diebus decret. 4. 157 G.

Hyppo. 1. apho. 20. 9. G.

Ga. Ibidē. in com. H.

Cæterum omnis uelox mutatio crisis appellatur.

Quæ iudicantur, & indicata sunt integrè, neq; mouere, neq; nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere.

Quænam igitur est perfecta, & indeficiens iudicatio: nempe in qua cuncta bene procedunt, &

cui nullus numerus deficit indicatorius.

Primum enim melior est indicatio, quę fit per euacuationem inferiorem, quàm quæ per abscessum; deinde per quam humor noxius, & redundans, quàm per quam alter euacuatur: tertio loco quę κατ᾽ἴξιν.i. secundū processum fit, quā quæ secundū processum non fit: uocat autem ipse secundū processum id, quod recto tramite procedit: & quarto post has, quæ facile toleratur: quæ cum coctione fit, & in DECRETORIO DIE. *Hæc omnia adesse conuenit perfectè indicationi: cui siquid desit, uel plura: neq; exquisita, neq; integra fuerit indicatio.* Ibidem.

Sola igitur subita ad sanitatem conuersio, simpliciter crisis nominatur. Gale.3.de crisibus.4. 139. B.

Crisis enim, uel in statu, uel parum ante ipsum fit: mors autem in tribus temporibus, principio, augmento, & statu. Gal. 3. de crisibus 4. 141.E.

Cum.n.unaquaque accessio quatuor habeat partes, PRINCIPIVM, AVGMENTVM, STATVM, & DECLINATIONEM: *uel has omnes breui tempore febris percurrit, uel tardo, uel nonnullas quidem citius, nonnullas uero serius. si omnes igitur celeriter peragat, manifestum inde fit, quod ad crisim properat.* Ibidē.140. B.

Oportet enim crisim in idem tempus incidere, cum accessione. Ibidem. D

Dicam uero, & nunc omnia summatim, quæ & præsentem crisim, quo euasura sit, ostendunt, & futuram præmonstrant. Primum quidem, Ibidē. 139 D.

& maximum inter omnia est considerare coctiones ex urinis, & alui excrementis, & sputaminibus.

Ibidem. *Siquidem ego millies, cum, dum crises fierent, interessem, neminem unquam uidi intereuntem, qui praecedentibus coctionibus crisim habuisset.*

DE SIGNIS. R. XI.

Gale. ars. med. Isag. 61.F. SVNT *autem, & ex his salubria quidem, & quecunq; praesentem indicant sanitatem, & futuram prenuntiant, & praeteritam memoriae subijciunt.*

Ibidem. *Insalubria uero, quae & praesentem indicant aegritudinem, & futuram praenuntiant, atq; praeteritam memoriae subijciunt.*

Ibidem. *Eadem ratione neutra dicuntur, quae neutram dispositionem ostendunt, praenuntiant, & memoriae subijciunt, (& quae nihil omnino de dispositionibus indicant, uel nihilo magis salubrem, quàm insalubrem dispositionem ostendunt:) & quae partim quidem salubrem, partim uero insalubrem indicant dispositionem: & quę aliquando quidem salubrem, aliquando uero insalubrem.*

Gal. 1. de crisibus. 4. 131.A. *Triplex quidem signorum omnium natura qualis sit, mihi antea dictum est: sed nihil deterius est nunc repetere, quod non nonnulla cruditatis, et coctionis, quaedam mortis, & salutis sunt signa. haec quidem duo sunt genera. Tertium autem, & aliud genus est, quod crisibus adiacet.*

Coctionis igitur, & cruditatis signa, ALVI EXCREMENTA, & SPVTAMINA, & VRINAS *statuere oportet.* Ibidem.

Mortem autem, atq; salutem portendentia sunt; quę unà cum istis excernuntur, & quæ per totum apparent corpus, de quibus latius in libro prognosticorum Hip. scribit. Ibidem.B.

DE ALVI EXCREMENTIS.
REGVLA. XII.

QVONIAM *autem (ut diximus) necesse est, omne genitum animal nutriri, substantia uero ciborum uniuersa in nutrimentum nō abit, ac proinde uitiosum quiddam ex superuacuo eius relinquitur, quòd propriè excrementum uocant, præparatæ a natura quædam corporis partes sunt, quæ id secernant, atq; emittant.* Gal. 6. de sanit.tuen. 2. 95.B.

Quæ cum genere sint duplicia (alia enim sunt uaporosa, & fumosa; alia autem uelut aquosa, ac limosa, quorum illa quidem suo impetu naturali in sublime feruntur: hæc autem deorsum, idq; etiam ex se se suopte nutu, ac pondere) duplices, & ipsorum excretioni secuit meatus: & eos quidem, qui leuia erant uacuaturi excrementa, in altum duxit, qui uero grauia deorsum repentia meatus erant uacuaturi, eos natura fecit decliues: neq; id solum, sed amplos etiam admodum efficit, ut qui multorum certè, & eorundem crassorum humorum uelut riui quidam, Gale. 9. de usupart. 1. 171. D.

& canales erant futuri.

Ga.1.aph. 12. Ex. 6. E. *Alui autem excrementum optimum est, quod est molle, consistens, & hora excretum, qua solet, cum sanitas adest.*

Gal. 1. de crisibus. 4. 129. D. *Tertium præter hæc est excrementorum genus, quòd non ex ciborum fit dispositione, sed ex confluentibus ad uentrem, ex toto corpore superfluitatibus, quòd aliquid potest iudicare, ueluti id, quod paulo antea purum rufum dicebamus. Sed hoc quidem quando rufæ, amaræq; bilis humor impermistus, & multas ad uentrem fluxerit, existit.*

Ibidem. E. *Viride autem est æruginosę bilis indicium: sicuti nigrum, uel atre bilis, uel sanguinis cuiuspiam in eo loco perusti.*

Ibidem. *Si autem, ueluti liuidum quoddam, in excremento apparuit, ubi non fuerit tale aliquid intus assumptum, partium infernarum ualidum frigus, ac uelut mortificationem indicat.*

Ibidem. *Si uero pingue, ubi non fuerit tale aliquid assumptum, pinguis colliquationis est signum.*

Ibidem. *Quin etiã uiscosum, nisi & hoc, & cibi natura tale sit, colliquationis est indicium. Sed, quod pingue quidem est, ex pinguedine fit liquefacta.*

Ibidem. *Quod uero uiscosum ex ipsis solidis animalis partibus contabescentibus: quare multo grauius.*

Ibidem. *Et quidem, quod uehementer fœtet, si etiam hoc ex cibo non accidat, uehementem putrefactionem ostendit.*

DE SPVTAMINIBVS.

REGVLA. XIII.

ET sputum quoque, cum fuerit exquisitè simile illi, quod aduenit sanis integram sanitatem instrumentorum, quibus uis spirandi est demandata, significat. Gal. 1. de crisibus 4. 127: H.

Cum uero neq; sanguini, neq; bili pallidæ, uel nigræ commistum fuerit id, quod tale fuerit, iam sputum uocamus. Ibidē. 126. H.

Nunquid uero magis pituitosus sit, uel biliosus humoris, qui inflammationem facit, ex sputaminū forma cognosces. Nam & spumosa, & flaua, & rufa, & pallida, & nigra expuunt. Gal. 2. de crisibus 4. 137. F.

Ex ijs uero, quę quidem spumosa sunt, fluxum maximè pituitosum ostendunt: Flaua autem, biliosum impermistum; Quæ uero rufa sunt, amarā quidem, & ista referunt bilem, sed non paucam serosam superfluitatem cum bile commisceri significant; & multo ampliorem, quando pallida quis expuerit. Ibidem.

Sic & nigra melancholicum fluxum ostendunt. Ibidem.

Sicuti, quæ magis rubida sunt, plurimum quidem sanguinis, minimum autem amaræ bilis in eo, qui inflammationem facit, humore contineri significat: atque ideo inter omnia sputamina, hæc sunt mitiora: sicuti nigra, omnium perniciosissima. Ibidem.

DE VRINIS. R. XIIII.

Auic. 1. F. 2. doct. 3. 51. C. VRINAE dispositio illico, cum mingitur, non est consideranda, sed postquam in urinali resederit, & obseruatum est, ne sol eam tangat, neq; uentus, ne agitetur, uel commoueatur, & ne congeletur donec hypostasis separetur, & significatio compleatur.

G. 1. aph. 12. Ex. 6. E Vrina autem optima est, quando sedimentum albũ, lene, & æquale fuerit per omne tempus, donec morbus iudicetur: significat enim salutis securitatem, & morbum pauco tempore duraturum.

Hyp. 1. de mor. uulg. 3. 106. D. Vrinæ tenues, crudæ, decolores, & paucæ: aut crassitudine præditæ, & paruo sedimento, nec probe subsidentes, sed cum crudo quodam intempestiuoq; sedimento.

Ga. Ibidẽ. Et de urinis didicimus, tenues, decolores, et paucas, (uel crassas, & paucas.) prauas esse.

Gal. 1. de crisibus 4. 127. H. Quæcunque uero, & superantis causæ prauitatem ostendunt, ueluti nigræ, hæc sunt extreme exitiales.

Hyppo. 4. aphor. 69. Ex. 34. H. Quibus urinæ crassæ, grumosæ, paucæ, non sine febre; multitudo ueniens, ex his tenuis iuuat. præcipue uero tales ueniunt, quibus ab initio, uel breui sedimen inest.

Ibidẽ. 35. A. Quibus urinæ perturbatæ, quales sunt iumẽtorum, ijs dolor capitis, uel adest, uel aderit.

Ibidẽ. E. Quibus urinæ albæ, & perspicuæ, male, præsertim

si in phreniticis appareant. Ga. Ibidē. in com.

Nullum etenim uidi phreniticum, in quo talis urina apparuisset, saluatum.

Quibus in urina crassa existente, carunculæ paruæ, aut ueluti capilli unà exeunt, ijs a renibus excernitur. Hyp. Ibid. 36. B.

Quibus in urina crassa furfurea quędam simul exeunt, ijs uesica scabie laborat. Ibidē. E.

Quibus in urinis arenosa subsistunt, ijs uesica laborat calculo. Ibidem. G

Vrina si quidem aquosa cruda est, & diuturna. G. 7. apho. 32. Ex. 56. D.

Quòd si ueluti oleum mingatur, colliquationis est signum, tales quidem urinæ prauæ sunt. Gal. 1. de crisibus 4. 130. E.

At, quæ farinæ hordei crassiori, aut squammis, aut furfuribus similis est, quæ nigra, aut uiridis, aut liuida est, aut oleaginea, aut fœtida, perniciem significat. Ibidem.

Quæ autem subrufa, aut subflaua, est, adhuc autē tenuis: qua quidem tenuis, cruda existit: qua uero talem habet colorem, iam coquitur. Ibidem.

Sed de subrubentibus urinis, & statim habentibus subsidentiam subrubentem, ac leuem, rectè dixit, quod sunt quidem satis salutares, sed diuturniores ijs, quas paulo ante semicoctas nominaui. Sanguinis enim serosa superfluitas istas intingit. Oportet autem non modo hanc, sed etiam aliquid rufæ bilis admisceri. Ibidē. F.

REGVLA. XV.

Gal. 1. de diebus decre. 4. 146. E. PRIMVM itaq; omnium dierum decretoriorũ septimum dicimus, non numero uidelicet, & ordine primum, sed potentia, & dignitate; omnes.n. summatim decretariorum notas occupat. Etenim plurimos iudicat, & absolutè, item cum manifesta excretione, uel abscessu, sine periculo uehementi: & ut plurimum quartus eum pronunciat.

Ibidem. Sextum autem diem, quanto pauciores in eo iudicantur, quàm in septimo, tanto quoq; maligniorem inuenio, ut qui ferè ex aduerso natura septimo oppositus sit. Etenim, qui in quarto ad peiorem statum recidunt, pleriq; sexto moriuntur. E contrario rursus, si bona conuersio contingat, septimum expectabit.

Ibidem. Et, si raro interim ad meliora conuersionẽ in quarto die euenientem sextus excipiens iudicarit, incredibile est, quanta cum perturbatione, periculo, & metu hoc fiat, quasi æger statim adeo fato sit functurus.

Ibidẽ. 147 B. Etenim septimum, & frequenter soluere, & perfectè, & cum fide, & salubriter, & sine periculo, & clarè, cum bonis signis.

Gal. 2. de diebus decre. 4. 154. F. Decretorius itaq; fortissimus omnium est dies septimus: prænuntiat eum dies quartus, hæc duo habens, ut decretorius minor sit, & septimi index.

Ibidem. Deinde undecimus, & decimus quartus eandem

proportionem, & naturam inuicem conseruant, quàm cum septimo quartus.

Deinde frequenter quidem decimus septimus ad uigesimum, raro autem decimus octauus, ad uigesimum primum eandem rationem habet, quam cum septimo quartus, & undecimus cum decimo quarto. Ibidem.

Coincidunt eis nonus, quintus, & tertius. Plurimos quidem nonus iudicat: secundam uim obtinet quintus: post hunc tertius. Ibidem.

Decimus tertius certè omnium decretariorum imbecillimus: omnium uero, qui non decernunt, fortissimus, tanquam in medio quodam utrorumq; uirtutis situs. Ibidem. G

Vehementissimæ itaq; sunt crises, sicut etiam antea diximus, quæ usq; ad decimum quartum diem ueniunt: minus ijs, quæ ad uigesimum usq; pertingunt: inde ad quadragesimũ productę, adhuc etiam minus uehementes euadunt: in illo autem perfectè soluuntur. Ibidem.

Proportio autem dierum decretoriorum perpetuo seruatur.n. decimus quartus, & secundæ septimanæ finis est, & tertiæ principium. ita trigesimus quartus quintę terminus est simul, & sextę initium. Ibidem.

Quare tres septimanæ uiginti diebus semper describuntur: ideoque sexagesimus, uti prius declaratum est, non sexagesimus tertius decretorius fiet. Ibidem.

Pari modo octogesimus, & centesimus, & cen- Ibidem.

tesimus uigesimus.

Ibidē.156. D. *Postremo decretoriorum dierum supremum finem centesimum, & uigesimum diem constituit, quatuor uidelicet mensium tempus: deinceps alios mensium decretoriorum numero, alios annorum solui scribit Hip.*

Hyppo. 2. aphor. 24. Ex. 15. G. *Septenorum quartus est index. Alterius septimanæ octauus principium. Est autem, & undecimus contemplabilis: ipse enim, quartus est secundæ septimanæ. Rursus uero, & decimus septimus contemplabilis: ipse si quidem quartus est a quartodecimo, septimus uero ab undecimo.*

DE PRINCIPIO MORBI.

REGVLA. XVI.

Gal. 1. de crisibus. 4. 133. A. MORBI *initium tempus illud ipsis putandum est, cum manifesto febricitare incipientes* DECVBVERINT.

Ga. in primū prrhe. 4. 161. D. *Nempe principij nomen indicat quidem, & primū morbi ingressum, insultumq; : indicatq;, & eū, qui secundum latitudinem ad tertium usq;, uel quartum extenditur diem.*

Hyppo. 4. aphor. 22. Ex. 29. F. *Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis, uel supra, uel infra exierit, lætale.*

Gal. Ibid. in com. G. *Quando aliquis incipit morbus, si quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, sed sunt omnia casus earum, quæ præter naturam in corpore dispositionum.*

Gal. ā tot. *Fingamus igitur primum inflammationis principium*

pium inquiri. quis iam negauerit generationem eius toto illo tempore esse, quo pars sanguinolenta substantia repletur. morb.tēp. 3.88.E.

In acutis passionibus raro, & in principijs medicinis purgantibus uti, & hoc cum præmeditatione faciendum. Hyppo. 1. apho. 24. Ex.10.E.

In principio uero REPELLENTIBVS *est utendum.* Ga.de cucurb. scar. 6.3.B.

DE AVGMENTO MORBI.

REGVLA. XVII.

NEMINI *uero dubium est quosdam augmentum uocare incrementum, quemadmodum alios quosdam ascensum.* G. d̄ mor. temp. 3. 85.F.

Cum itaq; accessio, siue per tertium, siue per quartum, siue quotidie fiat, anticipauerit proportionem, atq; ita anticipando ad longius extenditur tempus, atq; insuper uehementius afflixerit: tunc manifestum est morbi augmentum. Ga.1.aph. 12. Ex.5. G.

Cum autem influxus cessauerit, & quod in particula inflammatione obsessa continetur, putrefieri inceperit, calor quidam ob putredinem nascitur, & fusio magis propter calorem, unde etiam spiritus generatur, atq; ob hæc ambo particula magis quam antea distenditur, etiā si nihil influat: secundum hoc tempus est inflammationis augmenti. G. de tot. morb.tēp. 3.88.F.

Nunquid igitur morbus augeatur, non ex eo tantum coniecturari oportet, quod accessiones anti- Gal. 1. de crisibus.4. 125.H.

cipent, sed etiam earum longitudinem oportet annotare, & magnitudinem quoque, ac morem.

DE STATV MORBI.

REGVLA. XVIII.

Gal. 1. de crisibus 4. 126. B. *CVm uero, quæ ad accessiones duas pertinent, æqualia fuerint: morbum consistere demonstrant.*

Ibidem. C *Statum uero indicant, si in eisdem permaneant.*

G. de tot. morb. tēp. 3. 88. F. *Porrò cum in pus iam uertitur, maximi uidelicet dolores tunc partem apprehendunt, nam in puris generatione dolores, febrisq; magis, quàm iam facto infestant. Vocatur autem huiusmodi tempus uigor affectionis.*

Hyppo. 1. apho. 8. Ex. 4. F. *Quando morbus in suo uigore constiterit, tunc uictu tenuissimo utendum est.*

Gale. 1. de crisibus. 4. 128. D. *Deinde post hec status, qui est uehementissima totius morbi pars.*

Ga. Ibidē. 126. D. *Generosi autem medici, atq; arte hippocratica digni est officium, futurum statum præcognoscere, cum omnem uictus rationem ad ipsum inspiciens instituat.*

Hip. 6. de mor. uulg. 3. 156. E. *Qui rigores ualidos tendunt, non admodum mitigantur: sed prope statum.*

Hyppo. 2. aphor. 29. Ex. 16. F. *Cum morbi inchoant, si quid mouendum uidetur, moue: cum uero consistunt, ac uigent, melius est quiescere.*

Ibidem. *Circa initia, & fines, omnia imbecilliora: circa uigores uero, fortiora.*

DE DECLINATIONE MORBI.

REGVLA. XIX.

SICVT his contraria declinationis signa osten dunt, si uidelicet tardius fiac accessio, si breuiori tempore duret, sitq; omnino præcedente debilior. Gal. 1. de crisibus 4. 126. C.

Si autem fluor, qui suppuratur, uel digeritur, minorem tumorem, & tensionem reddat huiusmodi, est declinationis principium. Sic quidem in inflammatione tempora diuiduntur. Gal. d tot. morb. tēp. 3.88. F.

Vehementior igitur fit continue magis PVLSVS, & æqualior, atq; ordinatior in bona declinatione. Gal. 3. de crisi. 4.142 F.

DE DECVBITV. R. XX.

CVBANTEM offendi ægrum à medico oportet in latus dextrum, aut sinistrum, ac manus, ceruicem, & crura paulum reducta habentem, & omne corpus molliter positum. Ita enim pleriq; bene ualentium cubant: at ita cubare, ut sani solent, saluberrimum est. Hyppo. 1. pgnos. 4. 193. C.

Supinum uero cubare manibus, & cruribus extensis, minus bonum est. Ibidē. E.

Si uero procliuior est, ac deorsum delabitur subinde ad pedes, maiori periculo est. Ibidem. F.

Si crura quoq; supini cubantis admodum reducta, distractaq; sint. Ibidem. H

Crura, quę plurimum dispersa sunt, ac talis decubitus absurdus est, ita ut indicet delirium: Gal. Ibidē. in com.

quandoquidem nullus ita cubare soleat.

Ibidem. *Talis.n.decubitus absurdus est, si quis cubando supinus habeat crura reducta, & inter se circumplexa.*

Hyppo. 6. aphor. 56. Ex. 53. D. *In morbis melãcholicis ad hæc periculosi decubitus, apoplexiam corporis, uel conuulsionem, uel furorem, uel cæcitatem significant.*

DE REPELLENTIBVS, SIVE REPERCVSSIONE.

REGVLA. XXI.

Ga. de cucurb. scar. 6.3. B. Gal. 1. de cõp. phar. 5. loc. 5. 121. F. *IN principio uero repellentibus est utendum Comunem scopum in omnibus affectionibus quæ ex influxu humorum fiunt, contemni, ac subuerti ratus; repelli ipsos debere asserens, partem refrigerando, ac adstringendo, non attrahi calfaciendo: esse autem discussoria omnia facultate calida.*

Gal. ad opt. sec. ad Thr. Isag. 22. D. *Phlegmone incipienti quidem reprimentia adhibemus, post id autem cataphasmata, & irruentem materiam dissipare ualentia.*

Gal. 1. de cõp. phar. 5. loc. 5. 130. B. *Vsusq; eorum est repulsorij quidem in principio, discussorij uero ubi humor, qui achoras generat iam est firmatus.*

Gal. 10. de cõp. med. 5. loc. 5. 207. A. *Ita ut in manibus, & pedibus pharmacis fluxionem repellentibus utamur, circa coxendicum uero iuncturam id facere uitemus.*

Auic. 1. F. 1. do. 1. 3. B *Sicut dicitur in medicina, quod apostematibus calidis adhibenda sunt in principio, quæ repellant, et*

infrigident, & inspissent; & postea repellentia, cum mollificantibus RESOLVTIVIS. *præterquam in apostematibus, quæ sunt de materijs, quas membra expellunt principalia.*

Repercussiua uero, medicina est frigida, quæ adeo infrigidat membrum, quod ipsum inspissat, & eius meatus restringit, fluens ad ipsum congelat, & inspissat extinguendo caliditatem ipsius. Auic. de med.cord. trac.2.562 H.

DE PVLSIBVS. R. XXII.

CVM igitur proprium cordis motum nos pulsum appellemus. Gale.6. de Hippo. & Plat. decr. 1.260.G.

Nam quibusdam satis, ut dixi, fuit dixisse, Pulsus est distentio, & contractio cordis, & arteriarum. Gale.4. de diff.pulf.4. 64.F.

Quippe ad causas inueniendas, quæ mutãt pulsum, tria hæc sunt animaduertenda, instrumentum, usus, & facultas. Gal. 3. de præf. ex pulf.4. 118 A.

Quamobrem fit, ut corpulentis pulsus breues: gracilibus uero longi: quemadmodum, & quadratis moderatisq; esse uidentur moderati. Gale.1. de præf. ex pulf.4.106 B.

At differentiæ pulsuum in trinis simul dimensionibus sunt septem, & uiginti. perspicies has manifeste in tabella. Gale. 1.de diff. pulf. 4.47. E.

Vnus enim erit longus simul, & latus altusq;, qui omnibus præponatur. Ibidem.

Alius longus latus, & profunditate moderata scribaturq; secundus. Ibidem.

Ibidē. E. *Alius longus latus humilis, qui ordine tertius sit, similiq; omnes reliqui uia, & ratione cognoscen tur: ut duę primæ dimensiones maneant immotæ, trifariam ultima uariet, hoc pacto.*

Ibidem. *Quartus longus moderata latitudine, & altus.*

Ibidem. *Quintus longus, moderata latitudine, simulq; moderata profunditate.*

Ibidem. *Sextus longus, latitudine moderata, humilis.*

Ibidem. *Deinde alij tres, prima dimensione longum seruante, secunda angustum, tertia trifariam uariante, in his nouem una dimensio permanet longitudinis longæ, aliæ omnino commutantur. Mox alteri nouem dimensione longitudinis in mediocritate conseruata, uariantibus reliquis. Ad hæc nouem, ubi longitudinis breuis maneat dimensio, & aliæ immutentur.*

Ibidem. *Si ergo pulsum inuenias longiorem iusto, si quidem una latitudo eius, & profunditas increuerit, uide, gracilior homo solito, an calidior euaserit, remoto aduentitio motu.*

Ibidem. C *Sin longior factus pulsus sit, & latior, non uero perinde profunditate auctus, sed permanet moderatus, præter superiores notas, hoc illi etiam extra ordinem, necesse est, adsit, rugosiorem euasisse supernæ arteriæ, incumbentem cutem.*

Ibidem. *Ab his descriptus tertius est, qui longitudine, & latitudine excellit naturalem, ac in profunditatis dimensione est humilis: qui sanè est in*

frequens. Fit enim, cum arteria magnopere obiectorum corporum mole oneratur: id quod nunquam eueniat, nisi facultas simul imbecillior sit, & summè mollis tunica arteriæ: quorum illud imbecilliorem iusto, hoc molliorem pulsum efficit.

Iam quartus, qui longus simul, & altus, & in latitudine est moderatus, quod ad se attinet, latus est, quemadmodum, & altus: sed quia in obliquo coarctatur arteria, ideo sic eius motus impeditus est. Ibidem. D

Omnino.n.ubi latitudo profunditatis proportionem latitudinis altera impeditur earum, aut propter multitudinem, aut crassitiem, aut duritiem corporum obiectorum, quæ interposita sunt inter arteriam, & ad motum tactum. Ibidem.

Qui quintum in tabella locum habet, longior iusto, in reliquis autem duabus dimensionibus moderatus, graciliorem annuntiat, solito hominem esse factum, & pulsum, quantum in eo est, iusto minorem. Ibidem.

Qui sub hunc scriptus est, sextus, puta longus, & humilis, atq; latitudine moderatus: cum de causis ante expositis minor sit iusto: quantum in eo est, ob gracilitatem apparet longus esse. Sed hoc commune, cum quinto habet: proprium, aut hoc peculiariter, profunditatem ob causam paulo ante memoratam esse imminutam. Ibidem. E

Septimus in tabella pulsus erat, longus pariter, & Ibidem.

angustus, altusq; qui uideri, perinde, ac omniũ primus, magnus posset, nisi sit restricta latitudo. Cætera hic ita, ut in primo omnium sunt discernenda. Et etiam, quæ in tertio explicauimus, ea sunt in hunc locum conferenda.

Ibidem. *Ab illo octauum, longum una, & angustum, & moderata profunditate, natura quidem esse paruum ex ijs constat, quæ in quinto iam retulimus: at, quia marcuit corpus, longior uidetur. Eximium uero hoc præter quintum habet, quod constrictam hic arteriam latitudinis angustia declarat.*

Ibidem. *Nonus pulsus, longus, angustus, humilis longè etiã magis ostenditur sua natura esse paruus, uerum, uideri per marcorem corporis longus: fere adiuncta illi remissio est, duritiesq;, qui si neq; durus sit, neq; admodum languidus, ab refrigeratione gignitur.*

Ibidem. F. *Ac decimus quidem, qui altus simul, & latus uidetur, uno in homine, si cum moderato comparetur, nunquam existat: nisi quando (id quod rarum est) omnino arteria de sede sua migret.*

Ibidem. *Vndecimus, qui una re differt a superiore, quod profunditatem moderato parem habeat, pro cumulo causam dimittendi huius habet adiunctam. Cætera cum decimo conueniunt.*

Ibidem. *Duodecimus, latus, humilis cum moderata longitudine inuerso fit membro.*

Ibidem. *Decimus tertius, altus, idemq; dimensionibus duabus reliquis moderatus, perinde, ut decimus, &*

ex naturali conformatione conficitur, & etiam ex naturalis sedis mutatione. Eximium autem habet præter illum latitudinis angustiam.

Decimum quartum, qui omnibus tribus dimensionibus moderatus est, omnibus apertum est referre naturalem. Ibidem. G

Quintus decimus, qui humilis profunditate est, reliquis duabus dimensionibus moderatus, omnino similis superiori est, decimo quarto, præter quod huius compressa est profunditas. Ibidem.

Sextus decimus, qui moderatus est longitudine, angustus, altusq; : aut ex conformationis proprietate fit tali natura, aut ex latitudine compressa arteriarum in obliquum. Ibidem.

Septimum decimum, qui est moderatus longitudine, & profunditate, in reliqua dimensione angustus, in obliquo contractum esse declarat moderata profunditas: in reliquis omnibus decimo quarto, & decimo quinto respondet. Ibidem.

Octauus decimus, qui longitudine moderata est, & angustus, humilisq;, sua quidē natura paruus est. uidetur autem esse ob gracilitatem moderata longitudine. Ibidē. H.

Nonus decimus, breuis, latus, & altus, aut ob conformationis proprietatem, talis natura uidetur, aut ex affectu arteriæ in situ distortæ. Ibidem.

Vigesimus iam alijs duabus dimensionibus similis est nono decimo, sed profunditate est modrata. hic habet hoc precipuum impeditam suam altitudinem. Ibidem

Ibidem. *Vigesimus primus, breuis, latus, & humilis, præter easdem causas, etiam illas adiunget sibi, quæ latum simul, & humilem efficiunt pulsum.*

Ibidem. *Ad eundem modum uigesimus secundus. breuis simul, & altus, atq; latitudine moderata, assumet ad easdem causas, eas, quæ moderatum latitudine creant, humilemq; pulsum.*

Ibidem. *Sic etiam uigesimus tertius, breuis ille quidem longitudine, uerum dimensionibus duabus reliquis moderatis, ad easdem causas reducetur.*

Ibidem. *Vigesimus quartus sortietur prçter easdem causas, extra ordinem causam, quæ altitudinem deprimit.*

Ibidem. *Ad eundem modum proximi duo ad antedictas referuntur causas. Vt memoria teneamus, in quibuscunque pulsibus cedat longitudo proportioni latitudinis, in his causam, aut naturali conformationi, aut arteriæ peruerso situi esse attribuendam.*

Ibidē.107. A. *Demonstrauimus porrò, ubi latitudinis, uel profunditatis proportionem longitudo uincat, aut obsistere alteri earum solam angustiam, aut auctam etiam alteram esse.*

Ibidem. *Reliquus est post omnes uigesimus septimus, breuis, angustus, humilisq;, qui utiq; paruus, uel apparet esse, uel sua natura est.*

DE RESOLVTIONE.

REGVLA. XXIII.

QVOD ultimum in ipsa resolutiua methodo est inuentum, id primum omnium in curatione est peragendum. G.11.me. med.7.70. D.

Phlegmone incipiente quidem reprimentia adhibemus, post id autem cataplasmata, & irruentem materiam dissipare ualentia. Ga. de opt. sect. Isag. 22.D.

Resolutiua uero medicina est illa, quæ propter excellentiam suæ caliditatis humorem diuidit sub forma uaporis, & eius partes extrahit successiue a loco, in quo includitur, donec consumatur. Auic. de med.cord. trac.2.561 C.

OMNIBONI FERRARII DE REGVLIS MEDICINAE

LIBER TERTIVS.

De parte Salubri medicinæ. R. I.

Galen. de subf. emp. Isag. 32. A.



ALVBREM uero quidam indiuisam seruarunt: quidam in speciem generi cognominem, insalubrem, inquam, & in euecticam, idest BONI HABITVS *effectricem. alij addiderunt præseruatiuam, resumptiuam, & gerocomicam idest* SENVM *custoditricem.*

G. ar. med. Isag. 62. A *Salubre autem, & insalubre, & neutrum, unumquodq; tripliciter dicitur: hoc quidem ut* CORPVS: *hoc autem ut* CAVSA: *hoc uero ut* SIGNVM. *Etenim corpus, quod sanitatem natura suscipere aptum est: & causa, quæ eandem efficere, uel conseruare: & signum, quod potest indicare, hæc omnia salubria Græci appellare consueuerunt.*

Galen. ad Trasyb. 2. 107. D. *Salubris igitur artis pars est gymnasticæ, abundeq; de utroq; præcepit Hippocrates: quæcunq;*

de AERIS natura, LOCORVM, AQVARVM, VENTORVM, ANNIQVE temporum noscenda sunt, item de CIBIS, POTIBVS, atq; EXERCITATIONIBVS accuratissime omnia perscribens.

Plato etiam a parte totum cognominare uisus est, non salubrem artem, sed exercitatoriam appellans, cum quia exercitium bene ualentium præcipuum, ac proprium est, tanquam nullo pacto ipso ægrotis utentibus.

DE CORPORE SALVBRI.

REGVLA. II.

SALVBRE simpliciter corpus est, quod ab ipso naturæ ortu bonam habet TEMPERATVRAM, in simplicibus, & primis particulis, atq; in his, quæ ex illis componuntur, instrumentis est commensuratum. G.ar.med. Isag. 62.C

Salubre uero nunc est corpus, quod in præsenti est sanum. est uero, & hoc eo tempore, quo sanum existit, bonam habens temperaturam, & commensurationem, non tamen optimam, at sibi propriam. Ibidem.

Ipsius uero salubris simpliciter corporis tale quidē est semper id, quod est optima temperantia præditum, ac maximè est commensuratum. Ibidem.

Vt multum autem, quod a constitutione optima non ualde admodum deficit. Ibidem.

De causis, & de signis dictum est in praecedentibus libris igitur dcendum.

DE HABITV. R. III.

Ga. d bon. habit. 1. 39. B. HABITVS *nomine in re omni uti solemus, quae constans est, egreq; amouetur.*

Ibidem. *Habitus itaq; simpliciter bonus in optima corporis constitutione deprahenditur, non autem simpliciter in singulis corporum naturis.*

Galen. ad Trasib. 2. 103. C. *Habitus autem affectio stabilis est.*

Ibidē. 102. C. *Cumq; duplex sit bonus habitus, ut alibi ostensum est, utrius ipsorum gymnastica effectrix erit, distinguere admodum difficile fuerit, nunquid naturalis, an athletici boni habitus.*

Ibidē. 107. C. *Aliumq; bonum habitum laudauimus tutissimum iuxta, & ad omnes naturales actiones maximè idoneum: cuius materiae effectiuae simul, & conseruatiuae duae sunt, & salubris uocata uictus ratio, & exercitatio.*

Auic. de medi. cordial. trac. 1. 559. C. *Etenim ex frequenti actione, & passione fortes habitus generantur.*

DE SENIBVS. R. IIII.

Gal. 5. de sanit. tuen. 2. 92. G. EST *enim id, quod proprie senectutem appellant, non aliud, quàm siccum, & frigidum corporis temperamentum, annorum multitu-*

dinis ratione proueniens.

Sed iam, quia senes nonnulli esse humidos uolunt, alij siccos; atque id utrique indefinitè, faciendum nobis est, ut partim illos esse siccos, partim humidos declaremus: quod in comentarijs ostendimus de temperamentis, ubi solidis corporis partibus esse declarauimus siccos, sed, quia excrementorum temperamenti frigiditate copia abundant, hactenus dicuntur humidi. Gal. d salub. dię. 2. 40. G.

Senium enim, ut de hoc primum agam, frigidum, siccumq; est, ueluti in libro de temperamentis est ostensum. Corrigitur id per ea, quę calfaciunt, & humectant. Talia sunt balneum dulcis, & calidæ aquæ, & uini potio. Gal. 5. de sanit. tuen. 2. 89. E.

De exercitatione uero, frictione, & omni motu (ab his enim cœpisse est satius; nam rectè illud dictum arbitror, labor cibum præcedat,) hæc scire licet, poetam ex parte uerum dixisse. Ibidem.

Vt lauit, sumpsitq; cibum, det membra sopori.

Nanque hæc iusta seni.

Senum uero nemo quietem ex toto postulat, sed nec exercitium uehemens. Ibidem.

Senes facillimè ieiunium ferunt: secundo loco, qui ætatem consistentem habent: minus adolescentes: omnium minimè pueri, presertim qui inter ipsos sunt uiuidiores. Hyppo. 1. apho. 13 Ex. 6. G.

Senes iuuenibus magna ex parte ægrotant minus. qui uero morbi ipsis accidunt longi, maxima ex parte, comitantur ad mortem. Hyppo. 2. aphor. 39. Ex. 17. H.

Ibidem. *Raucedines, & grauedines in ualde senibus coctionem non admittunt.*

Hyppo. 3. aphor. 31. Ex. 26. F. *Senibus spirandi difficultates, destillationes cum tussi, urinæ stillicidia, urinæ difficultates, articulorum dolores, renum passiones, uertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis; uigiliæ, alui, oculorum, & narium humiditates, uisus obtusus glaucedines, auditus graues.*

Auic. 1. F. 3. doct. 3. 67. C. *Summa regiminis eorum est administrare, quod calefaciat, & humectet simul ex nutrientibus, & balneis, & potibus, & somno prolixo, & mora multa in lecto, & maiore, quam iuuenum, & assidua urinæ eorum prouocatione, & expulsione phlegmatis, ex eorum stomachis per uiam intestinorum, uesicæ, & ut naturæ lenitas ei duret.*

Ibidem. *Eis præterea multum confert fricatio temperata in quantitate, & qualitate cum oleo: deinde incessio, aut equitatio si debiles fuerint ab incessione. Ad illum autem, qui ex eis debilis fuerit, fricandum, semel aut bis redeundum erit.*

Ibidem. *Ex aromatibus præterea aliquid bene redolens odorare debent, & propriæ, quod calidum temperate existit; Et oportet, ut post dormitionem cum oleo inungantur, quoniam hoc uirtutem excitat animalem: deinde equitent, aut incedant.*

Hyp. d sa- lub. diæ. 2. 40. E. *Senes uero siccior uictus plerunq; decet, quod id ætatis corpora humida sint, mollia, & frigida.*

De Aere dictum est igitur dicendum.

DE LOCIS. R. V.

INSVPER, *qui regionem frigidam incolunt, humidi hi quoque, & pituitosi, eoq; molles, & albi.* Galc. 4. de cõp. med. ꝑ gen. 5. 236. F.

Quemadmodum ij, qui calidum tractum inhabitant, ut Aegyptum, & Arabiam, duros corporum habitus, & siccos sortiuntur. Ibidem.

Quippe sicci, graciles, & ueluti torrefacti in æstuosis tractibus homines fiunt. Gal. 2. de sanit. tuen. 2. 73. B.

Rursus frigidioris plagæ incolæ, in æquali temperamento uisuntur, ut quibus exteriora frigeant; interiora, atq; in his uiscera, immodice caleant. Ibidem.

Qui montanam regionem, asperam, altam, aquosamq; habitant, & quibus anni temporum mutationes admodum differentes fiunt, ibi species esse ingentes consentaneum est, tum ad labores, & strenuitatem natura idoneas. Ga. ꝙ ani. mor. corp. tẽp. seq. 1. 320. A.

Qui autem caua loca, & pratensia æstuosaq; incolunt, ac calidis uentis maiore ex parte, quàm frigidis afflantur, calidisque utuntur aquis, ij haud sanè magni, neq; proceri: cæterum lati, & carnosi, & atro sunt pilo. Ibidem.

Qui regionem altam, leuem, uentosam, aquisq; salubribus manantem colunt, ij statura prægrandes, sibiq; ipsis consimiles: cæterum effæminatiore animo sunt, ac mitiore. Ibidem. B.

Qui uero tenuia loca, aquis egentia, nudaq; habitant, nec temporum mutationibus bene tem- Ibidem.

peratis fruuntur, horum par est in ea regione dura corpora gigni, ac robusta, & flaua magis, quàm nigra.

G. 3. aph. 14. Ex. 22. E. *Intelligere nos.n.oportet omnes, de quibus scripsit Hyp. constitutiones, in locis terræ habitabilis temperatis fuisse: exceptis ab hoc sermone Thraciæ locis, quæ a mari distant. Hæc.n.in frigiditate, atque humiditate modum excesserunt; sicuti, & quæ ad Aegyptum, ac Libyam attinent, loca calida sunt, & sicca: exceptis, & hic illis, quæ mari adiacent locis.*

Ibidem. *In frigidis.n.quales sunt circa Thraciam, ac Pontum regiones, quoniam loca mari adiacentia, humilia sunt: ob hanc causam calidiores habent temperaturas.*

Ibidem.F. *In calidis uero, quales Aegyptus, ac Libya: quoniam æstate a uentis ab Arcto flantibus refrigerantur, idcirco minus sunt calida ijs, quæ ad mediterranea recesserunt.*

Ibidem. *Zona uero exquisitam habens temperiem, ac media orbis terrarum est, quæ per Gnidum, & Co, & quæcunque loca non multum ab his recesserunt, uel ad aquilonem, uel ad austrum. Oportet autem, ut temperatam Zonam nominatam ab ijs, qui talium habent peritiam, perfectæ intelligas, excogitare quandam lineam rectam ab oriente, ad occidentem, extentam per ea, quę dixi loca.*

G. 3. aph. 3. Ex. 20. B. *Nam morbi calidi, in locis calidioribus magis generantur, & minus sunt periculosi: magisque*

sanæ sunt in frigidis regionibus ætates calidiores, & in alijs proportionaliter. Sic uero, & ad uictus genera, alij ad alia bene maléue se habent morbi, & ætates.

Nam calidiores ad frigidiora; frigidiores uero ad calidiora, & sicciores quidem ad humidiora, humidiores uero ad sicciora bene se habent. Ibidem.

Et ut simpliciter dixerim, contrarij quidem ad contraria bene, similes autem ad similia malè: præterquam si ætas temperata, & uictui, & regioni, & loco temperato comparetur, hoc.n. solo modo similes a similibus bene afficientur. Ibidem.

Et locus quidem profundus est calidior: & locus altus semper frigidior. Auic. 1. F. 2. doct. 2. 33. G.

Ad summum uero ex maris uicinitate prouenit in aere humiditas. Ibidem.

Iam sciuisti, quod locorum habitabilium dispositiones in corporibus diuersificantur, causa altitudinum, & profunditatum in ipsis: & causa dispositionis eorum, quæ eis uicinantur ex maribus, & ex montibus, & dispositionibus terræ ipsius, si sit lutosa, aut paludosa, aut cœnosa, aut si est in ea uirtus mineræ, & dispositionis multitudinis aquarum, aut paucitatis earum, & dispositionis eorum, quæ eis uicinantur, sicut arborum, & minerarum, aut locorum sepulturæ, aut cadauerum, aut horum similium. Ibidé. 35. A.

Multa alia de locis leguntur. Ibidem in Auicena.

De Aquis dictum est. Propterea dicendum

DE VENTIS. R. VI.

Hyppo. 3. aphor. 5. Ex.20.C. *AVSTRI auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes, quando huiuscemodi tempestas praeualuerit, talia in morbis patiuntur.*

Ibidem. *At si Aquilonia fuerit, tusses, fauces, alui durae, difficultates urinae, horrores, costarum dolores, & pectoris. quando haec tempestas praeualuerit, talia in morbis expectare oportet.*

Gal.Ibidē. in com.C. *Causam uero, ob quam Austri reddant auditum grauiorem, & uisum caliginosum, non est difficile ex eius temperatura cognoscere, quae calida, et humida est natura.*

Hyppo. 3. apho. 17. Ex.23.E. *Quotidianae autem constitutiones, aquiloniae quidem corpora densant, & benè firma, & bene mobilia, bene colorata, & melius audientia faciunt, & aluos exiccat, oculos mordent, &, si pectus dolor aliquis prius obsederit, dolorem augent.*

Ibidem. *Austrinae dissoluunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggrauant, & uertigines faciunt, oculis, atq; corporibus difficilem motum praestant, & aluos humectant.*

Gal.Ibidē. in com. *Cum frigidus, ac siccus uentus sit aquilo, omnes corporis consumit superfluitates.*

Auic.1. F. 2. doct. 2. 34.C. *Et orientales quidem inter caliditatem, & frigiditatem sunt temperati: sed fiunt occidentalibus*

ficciores.

Occidentales uero, parum plus sunt humidi: quoniam super maria transeunt: & quia Sol eos suo diuersificat motu: unusquisq; enim horum duorum, s. solis, & ipsorum, alteri suo motu quasi cõtrarius existit. Ideoq; non tantum resoluit eos Sol, quantum orientales resoluit uentos: & propriè, quia maior orientalium exsufflatio est in principio diei: & maior occidentalium exsufflatio est in fine diei. Ibidem.

Et ideo occidentales minoris existunt caliditatis, quàm orientales, & magis ad frigiditatem declinantes. Et orientales maioris caliditatis, licet ambo comparatione uentorum meridionalium, & septentrionalium sint temperati. Ibidem.

DE TEMPORIBVS ANNI.
REGVLA. VII.

QVICVNQVE *artem medicam integrè assequi uelit, hæc illi omnino sunt agenda. Primum quidem temporum anni rationem habere debet, quantum potentia quodlibet eorum ualeat: non enim simile quicquam in illis existit, uerum differunt, cum ipsa a se ipsis, tum propter uarias, que in eis fiunt mutationes.* Hyppo. de aer. aq. & loc. 2. 2. C.

Ordo autem temporum, sicuti ipse sæpius in libro epidemiorum ostendit, & sicuti ij, qui hoc studio excelluere, scripserunt, hic est: ortus Pleiadum principium est AESTATIS: *post quem Canis* G. 3. aph. 14. Ex. 22. E.

ortus operam appellatam inchoat, quam etiam ſecundam partem æſtatis uocant.

Ibidem. *Poſt hanc Arcturus oriens, initium facit* AVTVMNO.

Ibidem. *Deinde occaſus Pleiadum* HYEMIS *principium adducit.*

Ibidem. *Et inde, quod hyemem ſequitur æquinoctium,* VERIS *exordium affert.*

Hyppo. 3. aphor. 1. Ex. 19. G. *Mutationes temporum potiſſimum pariunt morbos: & in quibuſdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione eodem modo.*

Ibidẽ. 20. C. *In temporibus, quando eadem die modo calor, modo frigus fit, autũnales morbos expectare oportet.*

Ibidẽ. F. *In ſiccitatibus febres acutæ fiunt; & ſi annus magna ex parte talis fuerit: qualem fecerit conſtitutionem, tales magna ex parte morbos expectare oportet.*

Ibidem. *In conſtantibus temporibus, cum tempeſtiuè tempeſtiua redduntur: morbi conſtantes, & boni iudicij fiunt: in incoſtantibus autem, inconſtantes, & mali iudicij.*

Ibidem. apho. 15. 22. F. *Ex anni autem conſtitutionibus (quod in totum dixerim) ſiccitates imbribus ſunt ſalubriores, & minus mortiferæ.*

Ibidẽ. 23. G. *Per tempora anni, uere quidem, & prima æſtate pueri, & qui hos ſequuntur ætate, optimè degũt, & ſani ſunt maximè: æſtate uero, & antumno uſq; ad aliquid, ſenes: reliquum, & hyeme, qui mediam ætatem habent.*

DE AESTATE. R. VIII.

SICVT ultra modum calida, & ſicca æſtas. Aeſtate autẽ, & ſanguis robur obtinet adhuc, & bilis ſe ſe in corpore extollit, manetq; ad autumnum uſq;. Eſt uero ſanguis exiguus autumno. contrarius enim eſt ipſi per naturam autumnus. Gal. 1. de mor.uulg. 3.101.C. Hyp. 1. de nat. hum. 1.32.B.

Bilis æſtatis tempore corpus occupat, & autumno. Dignoſceres uero ex hiſce. Homines per id tempus ſponte euomunt bilem, & epotis medicamentis biliosiora expurgant. id quod etiam, cum ex febribus, tum ex hominum coloribus liquet. Pituita autem æſtatis tempore infirmior eſt ſeipſa. tempeſtas enim ipſi contraria eſt, per naturam. ſicca enim eſt, calidaque. Ibidem.

Aeſtate maza molli nutriri, et potu diluto ſimulq; multo, tum obſonijs omnibus elixis oportet. Atq; his ita, ubi ſit ęſtas, uti debemus, quo frigidum ſit, & molle corpus. Si quidem tempeſtas calida eſt, & ſicca, corporaq; reddit, & aduſta, & ſqualida. quare his rationibus obuiandum eſt. Eodem modo, ut ex hyeme in uer, ita ex uere in ęſtatem, cum deuenitur, cibum deducere, potũ autem augmentare oportet, atq; in eum modum annum cõplendo ex ęſtate in hyemem peruenire. Hyp. d̄ ſalub. dię.2. 40. C.

Quando æſtas fit ueris ſimilis, ſudores in febribus multus expectare oportet. Hyppo. 3. apho. 6. Ex.20.E.

nia fuerit, uer autem pluuiosum, & australe, necesse est æstate febres acutas fieri, & lippitudines (Græci ophthalmias uocant) & intestinorum difficultates, præcipuè uero mulieribus, & uiris, qui natura sunt humidiores.

Ibidē. 24. C. *Aestate autem nonnulli horum, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ febres plurimæ, & quartanæ, & uomitus, & alui profluuia, & lippitudines, & aurium dolores, & oris ulcerationes, & genitalium putredines, & sudamina.*

Gal. 6. de mor. uulg. 3. 157. F. *Diem nanq; toti anno proportione respondere censet, ut meridiei æstas similis sit.*

DE AVTVMNO.

REGVLA. IX.

Gal. 1. de mor. uulg. 3. 101. C. INAEQVALI *autem autumnus temperamento, in quo dominatur siccum, & frigidum.*

Hyp. 1. de nat. hum. 1. 32. B. *Est uero sanguis exiguus autumno: contrarius enim est ipsi per naturam autumnus.*

Ibidem. C *Autumno autem sanguis paucissimus in homine euadit, Autumnus enim siccus, & iam hominē incipit perfrigerare. Nigra autem bilis quàm multa est, & uehementissima autumno.*

Hyp. d' salub. dię. 2. 40. D. *In autumno contra, cibi maiori copia, & sicciores exhibendi, et obsonia eadem ratione, pocula pauciora, ita, ut meratiora: ut, cum hyems commoda sit, homo perpetuo potu utetur meraciori, & pauciori, & cibo quàm plurimo, & siccissimo: nam ita in primis ualebit, minimeq; rigebit.*

Tempus hoc magnopere frigidum, & humidum est.

Autumno morbi acutissimi, atq; exitiales, maxima ex parte. Ver autem saluberrimum, & minimè exitiale. Hyppo. 3. apho. 9. Ex. 20. G.

Autumnus tabidis malus. Ibidem. H

Autumno uero, & multi æstiui morbi fiunt, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes, aquæ intercutem, & tabes, & stillicidia urinæ, (& difficultates intestinorum,) & coxendicum dolores, & anginæ, & anhelationes, (quas Græci asthmata uocant) & ilei, & morbi comitiales, & furores, & melancholiæ. Ibidé. 24. E.

Diem nanq; toti anno proportione respondere censet, ut uesperi autumnus similis sit. Gale. 6. de mor. uulg. 3. 157. F.

DE HYEME. R. X.

PAR etenim est seruare ipsam hyemem similem ei, quæ est naturalis, hoc est frigidam, atq; humidam. G. 3. aph. 13. Ex. 22. B.

Ventres hyeme, & uere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda: Etenim tunc calor innatus copiosior est, unde, & pluribus egent Hyppo. 1. aphor. 15. Ex. 8. A.

Ibidē. 24. G. *Hyeme uero morbi laterales, & pulmonis inflammationes, grauedines, atq; raucedines, tusses, dolores pectoris, & laterum, atq; lumborum, capitis dolores, uertigines, & apoplexiæ.*

Hyppo. de nat. hum. 1.31.H. *Pituita uero in homine hyeme augetur. Ea.n. interea, quæ corpori insunt per naturam, maximè hyemi respondet.*

Ibidem. *Quod uero hyems impleat corpus pituita, dignoscere ex hisce posses. Homines hyeme, & pituitosius expuunt, & emungunt: & tumores ipsis albi accidunt maximè per id tempus, & alij morbi pituitosi.*

Ibidē. 32. C. *Verum hyeme aduentante, & bilis perfrigerata exigua euadit, & pituita augescit rursum, tum a copia pluuiarum, tum a longitudine noctis.*

Hyp. d̄ salub. diet. 2. 39. H. *Hyeme plurimum comedendum, bibendum quàm parcissimè. Et potus esse uinum debet quàm meracissimum, cibus panis, obsonia assa omnia. Oleribus hac tempestate paucissimis utendum, nam hac potissimum ratione corpus calidum, & siccum fuerit.*

Ibidē. 41. A. *Vestes hyeme mundæ sunt induendæ, æstate oleo infectæ.*

Gale. 6. de mor. uulg. 3.157.F. *Diem nanq; toti anno proportione respondere censet, ut nocti hyems similis sit.*

DE VERE. R. XI.

Gal. 1. de temp. 1. 11. C. *VER autem tum temperatum, tum uero calidum, humidumq; appellant.*

Vere autem pituita adhuc in corpore uehemens manet, & augetur sanguis. Etenim frigus remittitur, & succedunt aquæ, et interim sub imbribus, & caloribus diurnis augetur sanguis. consentit enim ipsi hęc anni pars maximè per naturam: humida enim est, ac calens. Dignoscere autem ex hisce posses. Nam homines maximè uere, & æstate, & a dysenterijs capiuntur, & fluorem sanguinis de naribus patiuntur, & calidissimi sunt, ac maximè rubentes. Hyp. 1. de nat. hum. 1.32.A.

At uere ineunte amplius potandum, & dilutius est, ac paulatim. sunt præterea sumendi molliores cibi, paucioresq́; atque panis subtrahendus, mazaq́; exhibenda, tum obsonia eadem ratione subtrahenda, & assa elixis commutanda: ac oleribus iam in uere paucis utendum, dum æstatem homo attigerit, tum cibis omnibus utendum mollibus, obsonijs elixis, oleribus iuxta, & crudis, & elixis; poculis multo dilutissimis, & plurimis, &, ut ne magna mutatio sit, paulatim fiet non subito utenti. Hyp. ď salub. diæta. 2.40.B.

Vere etenim furores, & atræ biles, & morbi comitiales, & profluuia sanguinis, & anginæ, & lepræ, & impetigines, & uitiligines, & pustulæ Hyppo. 3. aphor. 20. Ex. 24. A.

CONCLVSIO DE TEMPORIBVS ANNI. REG. XII.

Hyp. 1. de nat. hum. 1.33.D.

IS uero ita habentibus, quicunq; morbi hyeme augentur, debent æstate attenuari: desinere uero hyeme, qui æstate augentur, scilicet qui ipsorum non absoluuntur in dierum circuitu. Dierum autem circuitum alias exponemus. Morbos autem, qui uere inuadunt, desituros autumno expectare oportet; autumnales autem necessum est ueris tempore absolui. Morbus autem, qui eiuscemodi tempestates superarit, ipsum futurum annalem scito.

medicus sic aduersus morbum instare oportet,

Ibidem. *Et pro ut quisq; horum in corpore excellit in anni tempestate, quæ maximè naturam seruet.*

De cibis, potibus, atque exercitationibus iam dictum est in primo libro. Propterea dicendum

DE TEMPERATVRIS. REGVLA. XIII.

Gale. 2. de dign. pulf. 4.78. B.

IMMO, ut in opere de temperamentis, omnium optimam temperaturam, nec calidam esse docuimus, nec frigidam, nec siccam, nec humidam, neque mollem, neq; duram.

Et si quidem hæc sic se habent, sicut certè se habent, cur nouem dicere uniuersas temperamentorum differentias dubitemus: Temperatam quidem unam, non temperatas octo: quorum quatuor simplices sint, humida, sicca, calida, & frigida: quatuor compositæ, humida simul, & calida, sicca pariter, & calida, frigida simul, & humida, frigida simul, & sicca. Gal. 1. de temper. 1. 14. D.

FINIS.


BRIXIAE.

APVD VINCENTIVM SABIENSEM.

M. D. LXVII.

Primus. n. unmerus Regulam, secundus uero folium indicat.

A



FINIS.